6
9-c
25

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
8 M A
9

6 — 9, C, 25

T
VI
24

LAVRENTII DVCCII PISTORIENSIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE ELOCVTIONE
Libri duo.

AD GVIDONEM
EX COMITIBVS S. GEORGII
ET BLANDRATAE.



FERRARIAE, *Apud Victorium Baldinum,*
Typographum Cameralem. M. DC.
De consensu Superiorum.

Capuccinorum Romae

DE ELOCVTIONE LIBER PRIMVS

Præfatio

AD COMITEM GVIDONEM SANGIORGIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE Elocutione scripserunt omnes, qui vel de Arte Oratoria, vel de Poesi; Maius tamen hoc opus est quam fortaſſe videtur: argumento sunt ea de re tàm multa literis commendata, quæ nec firmam rationem habent, nec probabilem: Huius vt causa est rei difficultas, ita quoque auctorum imperitia, qui hunc sibi laborem adsciuere; Pauci enim admodum verè Philosophi hoc opus aggressi sunt, vel maioribus impliciti, vel in tenui re gloriam aspernantes: Nam quę nobis de hac re diuinus vir Aristoteles scripta reliquit adeò pauca sunt, vt ijs ægrè ac-

quiescant auida Eloquentiæ ingenia; Cæterì vero, qui post illum aliquid conati sunt adijcere, ac veluti locupletem, copiosamq; Elocutionis supellectilem efficere in eo defecisse videntur, quod vbertatem, & copiam consectantes in obscuritatem inciderunt, cum ornamentorum ad locutionem pertinentium nullum certum numerum, rationemuè constituerint: Facturum itaq; me operæ prætium existimo si ea, quæ de hac re cogitans inuenire potui communi vtilitati exponam, namque quæ ab alijs rectè tradita sunt, non est cur à Nobis repetantur, cum apud eos facilè possit quisq; eius rei cupidus reperire; Nec tamen arbitror me, aut vidisse omnia, aut videre potuisse, quæ ad hanc Artem spectant; scio enim ita esse hominum natura comparatum, vt fortasse omnes omnia, non vt vnus omnia possit; Verum cum in ijs, quæ de conscribenda Historia, & de Arte Oratorum, ac Poetarum non indiligenti labore lucubraui; sæpius mihi eadem esse de Elocutione repetenda viderem, in eam opinionem, vel inuitus descendi aliquam esse communem Artem de locutionis

elegan-

elegantia, atque ornamentis à qua sibi aliæ omnes propria, & necessaria deposcerent: ad eam cum animum, cogitationemq; sæpè vertissem, multa in mentem venerunt, quibus & ipse acquiescerem, & non spernenda alijs existimarem. In eo si me mea fefellit opinio, idem mihi contigit, quod omnibus ferè, nam de se quisque amanter iudicat, ac de suis. Hoc tamen; qualecumq; sit; esse tibi elaboratum opus volui GVIDO SANGIORGI præclarę tuæ virtutis obscurum quidem, sed gratum; meæ autem in te voluntatis apud omnes illustre testimonium.

QVID NOMINE ELOCVTIONIS significetur, & qua ratione sit agendum de illa.

Cap. I.

C*VM itaque sit nobis agendum de Elocutione, quid ipsum nomen significet, primum docere oportet, ne incipiat ab ipso tractationis limine in obscuris oratio nostra versari; cum præsertim facilè id ac paucis efficere possimus; omnes enim qui Elocutionis nomine vsi sunt, ornatæ locutionis loco illud accipere. Hæc autem quid sit, cum ornamenti definitionem attulerimus, facilè, vt arbitror, intelligetur. Verùm si tractationis rationem persequi velimus, altius erit nobis exordiendum: Quacunque.n.in censum entis veniunt suã habent naturam, essentiamuè, affectiones, ac fortè species, siue hæc Natura constent, aut Fortuna, casuuè, siue electione, siue Arte; quapropter, possunt omnia definiri, & propriarum affectionum recipere demonstrationes;*

ac si fortè sint multiplicia in partes, speciesuè dispertiri. Hæc autem omnia munera sunt; quemadmodum alibi me probaturum arbitror; eius philosophiæ partis, quæ appellatur Contemplatiua: ea enim omnia entia siue Naturalia, siue agibilia, siue factibilia, quatenus definienda, diuidenda, ac demonstranda, sui iuris finibus cohercet; quod si nihil esset præterea de entibus cognoscendum, vniuersum philosophiæ munus in Contemplatione versaretur: verum quia quæ ab electione proficiscuntur & Arte, non prædictas tantummodo intellectus actiones admittunt, cum non modo cognosci possint, sed etiam fieri; ne aberretur in eorum effectione, altera philosophiæ pars, quæ Actiua vocatur necessaria est; cui tanquam Ancilla attributa est Ars, quemadmodum commodiori loco dicetur. Philosophia igitur Actiua, eiusq; comes Ars in præceptionibus rectè agendi, efficiendiq; versantur; & quoniam de re aliqua tradi præcepta non possunt nisi cognoscatur; necessariam cognitionem ab altiori scientia mutuantur. Verum accidit quam innuimus philoso-

losophiæ partem literarum monimentis hucusq; haud esse commendatam, propterea multa cogitur definire, ac diuidere tùm Actiua philosophia, tùm Ars, & cum se nobilioris illius partis ope, auxilioq; destitutas intelligant, suo labore, ac diligentia illius muneri, atq; officio satisfacere; ita tamen vt se alieno defungi munere cognoscant, & fateantur; tùm verò se proprium obire, cum agendi, effigiendiq; rationes explicant; propterea qui morum philosophiam existimat in præceptis non oportere esse occupatam, si quid in Artibus postulet animaduertat, idem se debere à morali expectare cognoscet; est enim Moralis morum Ars, cuius neque morum, siue habituum, neque fœlicitatis, neque alterius rei est explicare definitionem. Cum itaque Artem elocutionis scribere in animo habeam, ab omnibus iure optimo definitionibus, diuisionibusq; abstinuissem, si eas in Contemplatiua philosophia elaboratus viderem, & quod huius Artis est proprium in præceptis tantùm eam rectè efficiendi constitissem: quapropter dandum est hoc necessitati, vt quotiescunque

opus

opus fuerit huius Artis limites transilire possimus absq; reprahensione sapientum, ea definiendo, ac in species dispertiendo, quæ ad inuenienda præcepta necessaria videbuntur; hac enim ratione, quod conamur ad publicam vtilitatem fortasse perficiemus.

Non esse Artis Rhetoricæ, neq; Poeticæ Agere de Elocutione. Cap. II.

C*AVENDVM est autem ne non modo diffinientes, ac diuidentes videamur in alienas possessiones irrumpere, sed præcepta quoque tradentes; non enim desunt qui distinctam ab omnibus alijs Elocutionis Artem minimè existiment, sed alterius cuiusdam partem quandam, siue illa Rhetorica sit, vt nonnulli arbitrantur, siue Poetica, siue Grammatica: Nunc itaque de Rhetorica, & Poetica videndum, ac primùm de Rhetorica. Haud igitur obscurum est omnes qui hanc Artem conscripsere, non paucis eodem opere egisse de Elocutione, inter hos Aristote-*

les

les, & Cicero, & is quidem eas Artes non distinxiße videtur, vult enim Oratoris esse proprium de qualibet re ornatè dicere, ornatè autem dicit, qui ornata vtitur oratione, Oratorem autem Rhetorica instruit, atque informat, est igitur munus illius agere de Elocutione. Verùm aliud est Oratoris officium; omnis enim quacunque de re loquatur, ornatè loquitur vt potest; nec tamen omnis locutio oratoria est, suos enim, & ipsa fines habet à persuasione circunscriptos; propterea Historici, Poetæ, Philosophi, Artificesq; omnes qui suas Artes literarum monumentis commendant, vel alia ratione docent; ornatè loquuntur, non tamen Oratores sunt, non enim persuadere conantur: Signum autem illud maximum, si enim ornatè loqui est oratoriè loqui, nullum erit aliud ornamentum orationis præter illa quibus Oratores vtuntur; verùm Poetæ quædam adhibent, quæ oratoriam locutionem maximè dedecent; non igitur ornamenta omnia sunt Oratoris propria, igitur neque de illis agere Rhetoricæ Artis est opus; quare ornamentorum orationis Ars,

Rhe-

Rhetorica simpliciter appellari non potest. Id autem hac ratione, ni fallor, demonstratur. Primùm satis constat vnamquanque Artem multiplici aliarum auxilio indigere, ita vt non modo ęgrè finem suum absque illis obtineat, sed etiam nulla ratione assequatur: Nulla enim Ars præsertim præceptiua quicquam absque logica conari potest, multo autem minus Contemplatiuæ disciplinæ, quas nomine scientiarum appellamus: Hæc ipsa de qua nobis institutus est sermo Rhetorica, siue illius effectiua pars oratoria, & pręterea Poesis, & Historia absque orationis rectitudine, frustra ad finem contendant, quod est Grammaticę opus; idemque facilè quisquis intelligat si animum ad cęteras Artes, facultatesuè conuertat. Verùm & si omnis Ars alteriùs sibi opem adsciscit, non tamen si literis tradatur, aliarum quarum indiga est, pręcepta complectitur, quàmuis enim verum sit vnamquanq; Artem pręceptiones continere, quę alicui fini deseruiant; imò nihil aliud fortè sit Ars quàm huiusmodi pręceptionum methodica dispositio; non tamen ob id cęterarum

rarum quoque Artium documenta ſibi explicanda ſumit, id enim eſſet non Artes tradere, ſed confundere, ac permiſcere. Quapropter non ſunt in Artibus omnia docenda quorum cognitio ad finem aliquem obtinendum videantur pernceceſſaria: Quod ſi rei alicuius admittendus eſt vſus, de qua tamen nulla ſit Ars, parcè, & modicè vt in Arte aliena de illa agendum eſt, cum diligens & abſoluta doctrina in ÿs uerſari debeat quę sũt eius Artis propria quam quisque docere vult. Itaque ſummoperè adnitendum eſt in qualibet Arte cognoſcere quę propria ſint, quę minimè: Quòd ſi viderem à quoquam ſatis explicatum, huic labori peperciſſem. Sic itaque dicamus. Omnis Ars aliquem ſibi finem ſtatuit aſſequendum, ſiue efficiendum, & quę in pręceptionibus verſatur pars, ea rationem operandi propter illum oſtendit; De his autem pręceptiones ſunt, quę illius Artis propria exiſtunt, propria verò ea cenſentur quę illius Artis tantummodo ſunt, ea verò illius tantummodo ſunt, quę ſunt intrinſeca fini ſub ea ratione, qua in Arte proponitur

(ha-

(habent enim, & fines in Artibus suas rationes formales, quę constituunt eas ab aliys q́; distinguunt cum materiale sit commune multis alijs) sunt autem fini intrinseca quę ab eius natura fluunt, & quorum ea est relatio, habitudoue, & connexio cum illo, vt neque finis obtineri queat sine illis, neque ea adhibeantur nisi quoties opus est finem assequi; quo fit vt nullus alius Artifex ijs vtatur medijs, vel pręceptis nisi is qui ab Arte illa nomen suscipit; nullus verò alius vti queat, nisi qua talis, & nisi qua finem illius assequi contendit: Hęc igitur arbitror esse cuiusque Artis propria; quod ex eo facilè apparet; nam debent in Artibus ex fine media deduci quantum fieri potest demonstratiuè, ita vt propositiones necessarię sint, quemadmodum in speculatiuis conclusiones ex principijs ducuntur; si igitur hunc necessarium nexum habent finis, & media, verè dictum est, neque finem absq; illis obtineri, neque ipsa adhiberi absque appetitu finis; & hęc media, vel de his medijs pręcepta esse eius Artis propria cuius est eorum cognatus finis. Ex his quam proposuimus

mus demonstrandam conclusionem ostendemus. Finis Oratoris est persuasio, hęc autem non fit necessariò ornata locutione, nam neq; omnes qui persuadent illa vtuntur, prisci.n. Oratores latini incultè, atque incomptè loquentes animum Romanæ plebis ciebant; neque omnes qui ornatè loquuntur persuadere volunt, soli enim Oratores, ac fortè Poetę id conantur, ornata autem locutione, & Historici vtuntur, & Philosophi, & quicunque habent de Arte aliqua sermonem: quapropter cum ab Elocutione persuasio non fiat necessariò, possitq; persuasio fieri sine Elocutione, manifestum est non esse inter ea nexum necessarium, & cum Rhetorica doceat ea tantùm quę sunt Oratoris propria; cur de Elocutione laboret, causa nulla est. Verum, ne id silentio transigamus, haud idem esse arbitrādum est de Elocutione agere, & qua vnaquęque Ars Elocutione, vel quibus ornamentis vti debeat ostendere. Quis non videat Aristotelem in Moralibus, ac sæpè in Physicis quo argumentorum genere, & qua doctrinæ via vti deceat sæpè quærere? at verò nullibi in

illis

illis disciplinis rationem methodorum docet, hoc enim alterius Artis est opus: Hac eadem ratione de Elocutione minimè egit in Arte Rhetorica; nam eius artem tradere, ac de illa simplicitèr loqui haud esse munus Rhetoricæ arbitratus est: tùm in primo libro cum dicit, omnia præter enthimemata esse Rhetoricę accidentalia, tùm etiam in tertio cum ait, se velle de oratoria tantùm locutione agere, cum longè sit alia Oratoris dictio, & Poetæ. Verùm an ipse rationem quàm paulò antè explicauimus viderit, & an in Artis Poeticæ fragmento, pro eo, ac debuit, de locutione præcepta dederit, suisq; se finibus continuerit, alijs iudicandum reliquimus, quibus non supinum est, aut vulgare iudicium, & non seruile ingenium, & alienis placitis mancipatum. Cæterùm quæ de Rhetorica dicta sunt, de Arte quoque Poetica dici possunt; quapropter ne legentium animum inani repetitione defatigemus; quod reliquum est de Grammatica prosequamur.

Non

Non pertinere ad Grammaticam agere de Elocutione. Cap. III.

EST autem quæstio de Grammatica longè difficior, nullus enim adhuc tantùm videtur in ea laborem insumpsisse, vt qui finis eius, quod munus sit, intelligere possimus: Nam quæ à Grammaticis dicta sunt; haud quisquam temerè Philosophus approbet; quis .n. existimet in tanta ignoratione diuinam illam vigere rationem, Artemuè certos fines Artibus, ac propria munera præscribendi? Quæ autem Sex. Epiricus de illa nobis tradidit ex opinione veterum, tùm Grammaticorum, tùm Philosophorum, cùm absque vlla probatione, ac methodo dicantur, sed tantùm historico more, haud facilè tanquàm certa suscipienda sunt ab ijs, qui ex eodem auctore didicerint in re qualibet esse cohibendum assensum, propterea quod nihil verè sciri, aut cognosci possit. Quapropter subeundus est nobis hic labor, quatenus prædictæ quæstioni satisfieri posse videatur. Artem Grammati-

tam in aliquo ente uersari necesse est; et in rebus quidem, pro vt à verbis, vel oratione distinguuntur, minimè videtur; est.n.omnium qui de illa scripserunt vetus, & vulgata opinio, eam esse Artem orationis; non quod illius naturam inquirat, definitionemq; constituat, vt vel eam partiri possit in species, vel de ea proprias affectiones demonstrare (est enim id Contemplatiuæ philosophiæ, cuius minimè pars est Grammaticæ) sed quòd aliquid efficere doceat, quòd est munus Artium. Ipsam autem orationem efficere, nequaquam docet; ad hoc enim Natura parens aptissima dedit mortalibus instrumenta, quorum vsum pueri inualida adhuc ętate, vel sola imitatione parentum addiscunt; ab ijsdemq; rerum nomina sibi comparant, & linguam percipiunt, quæ propterea dicitur naturalis, quod in ea, & nati sint, & adoleuerint. Igitur linguarum cognitionem cum à parentibus liberi suscipiant, nec tamen, aut illi docere Grammaticam, aut hi addiscere eo tempore dicantur, manifestum est Grammaticam non esse Artem quæ linguas doceat; quòd ex

eo magis constat, sæpè enim accidit multos esse Grammaticæ gnaros linguę cuiusdã quàm linguam minimè intelligant; hoc in ijs quotidie videmus qui aut Græci sermonis, aut Latini Regulas quas vocant addiscunt; è contra verò multos videre est qui naturalis linguæ, postquàm multum adoleuerint, ac diù in illa versate sunt Grammaticæ operam nauant: quæ si linguam doceat, eos ad illud vsque tempus elingues fuisse dicendum est, & cum cæteris mortalibus inire societatem non potuisse, nequit enim id fieri, sine orationis communicatione: linguarum itaque cognitio non est opus Grammaticæ. Quoniam verò Grammatica est Ars, Ars autem cognitio aliquid rectè agendi; non est autem hæc necessaria cognitio, nisi vbi errare, ac facilè labi contingat, si quid in oratione Grammatica doceat intelligere velimus videndum est nobis, qua ratione in linguis peccare possimus. Est autem errare aliquid efficere quòd à fine seducat, propter quem actio instituta est; propterea errare non possumus nisi aliquid facientes, in oratione autem ni-

hil

hil facimus, nisi dum ea vtimur, cum enim oratio sit nostri animi Instrumentum ad notiones patefaciendas, nullam Instrumenta quatenus talia actionem suscipiunt præter vsum; Finis itaque orationis cum sit notionum significatio, si quis ita oratione vtatur, vt hanc minimè facere possit significationem, errare dicitur in oratione. Verùm vt Artis huius necessitas appareat magis, dilucidiùs ostendendus est hic error, quem diximus. Nam si erramus cum ità loquimur, vt non intelligamur haud vna videtur peccandi ratio, nam qui Germanice, Italo, vel Hyspano loquatur minimè gentium ab illis intelligetur, cum tamen non modo benè, sed elegantèr quoq; fortasse loquatur: fingamus enim ad aliquem Græcæ linguæ ignarum orationem habere Demostenem; non est dubium frustra eum conaturum, ignarum linguæ docere quæ sentiat, nam cum is Græcæ orationis capax minimè sit, quæ dicat, sentiatuè Demostenes intelligere non potest; erraret itaq; in oratione Demostenes: Hoc verò perabsurdum sit, & flagitio proximum, de Gramma-

ticæ Artis ignoratione Demoſtenem arguere; propterea non omnis non intellectæ orationis vſus error eſt ad Grammaticam ſpectans; ſed is eſſe videtur, qui in propria lingua ſit, vel in lingua, & loquenti, & audienti cognita; neque tamen omnis; accipiamus enim multa quæ ad Atticum Cicero ſcribit, totum ferè Iuuenalem, multò autem magis Perſium, ſanè perobſcure loquuntur, ac infinita ſunt propemodum quorum fruſtra quis aſſequi conetur intelligentiam. At Grammaticæ latinę imperitos nullus eos appellabit. Quapropter aliud eſſe videtur obſcurè ſcribere, aut loqui, aliud verò in eum errorem incidere, ad quem præcauendum inuenta eſt Grammatica: quod ſi aliquis malè nomina, aut verba inflectat, aut ita componat, vt perſonæ, numeriuè, aut caſus diſſonent, aut ſi quod eſt breue, longum faciat, accettuumuè ſedes immutet, & horum complura ſimilia, quibus ab vſu naturali lingua detorquetur, is demum iure, ac meritò dicetur in Artis Grammaticæ ignoratione verſari. Hæc autem omnia ſunt orationis; prout alicuius gen-

tis est; accidentia intrinseca, atque essentialia, quæ illam in huiusmodi esse constituunt, (quemadmodum philosophi dicunt) faciuntq; illam vel Romanam, vel Græcam, vel Hyspanam; quæ accidentia quoniam vnaquæque lingua sua propria habet fit, vt non quemadmodum vna est inter omnes Gentes Logica, Rhetorica, Artesq; huiusmodi ita esse vna, eademq; Grammatica possit; verum unaquæq; suam ab alia longè diuersam habet, vt linguę ipsæ diuersæ sunt, vel accidentia illa, quæ & linguam constituunt, & sunt immediatum subiectum Grammatici muneris: & quoniam non modo præsentibus animi nostri sensus communicare, vel cupimus, vel cogit necessitas; literas, scriptionemq; reperire opus fuit vocalis imaginem orationis, non fluxam, labilemq; ac citò perituram, sed stabilem, firmamq; ac non modo complura, disiunctaq; loca adituram, sed etiam per multa secula duraturam, vt & locis dissitos, & ętatibus dissociatos eorum quæ sentimus, aut quæ senserimus certiores facere valeamus. Cum igitur in hac quoque sæpius multisq; modis errare

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

contingat, non minùs de ea quàm de uerbis, & oratione vocale Grammaticam habere rationem oportet, imò uidetur in eo potissimùm laborare cum inde nomen susceperit. Quapropter inuentio literarum, scriptionisuè illi attribuenda non est, verùm postquàm hæc inuenta sunt, & in vsu posita, quæ sit eorum ratio, rectusuè usus ipsa nobis ostendit; & ita in exarandis literis, verbisq; moderatur operationem, vt quemadmodum illius natura postulat exprimatur vocalis orationis imago. Hęc igitur de Grammatica; diligentiùs enim ea explicare alteriùs muneris est. Ex his autem quæ dicta sunt, facilè apparet, falsum esse id quod à multis vulgo iactatur, ad Grammaticam spectare Poetarum, Oratorum, Historicorumq; interpretationem; nam quod attinet ad sententias nihil eas habere cum Grammatica commune, satis est manifestum; hæc enim Ars de sententijs vllam habet Contemplationem, verùm explicatio earum illius Artis, uel disciplinæ est in qua illæ docentur, Contemplatiuę quidem Philosophiæ si entium definitiones, diuisionesq; sint, vel Politicæ,

aut Moralis, & huiusmodi; is enim aliquid obscurum declarat qui illud intelligit, at contemplatiua contemplatiuus intelligit Moralia verò Moralis; non igitur Grammaticus qua talis potest hasce aggredi explicationes. Quòd autem ad verborum significationem attinet hanc sibi operam cognitio linguarum adsciscit, quàm esse à Grãmatica longè aliam superiùs dictum est: propterea quicunque in alienam linguam propriç linguç auctores, aut aliarum in propriam traducunt, nõ hi Grammatici appellandi sunt, nec est illud Grammaticorum munus, sicut neque auctorum interpratatio, sed eorum accidentium linguarum, quibus linguas inter se distingui diximus, diligens, & exquisita obseruatio, vt rectum linguæ vsum certis rationibus, præceptibusq; complectantur. His ità declaratis videre oportet an sit eiusdem Artis agere de Elocutione. Quòd autem ornamenta non sint ex ijs accidentibus, quibus vnaquæque lingua constituitur satis patet, nam illa propria sunt vniuscuiusque, & varia pro varietate linguarum, propterea non esse eandem

omnium Grammaticam diximus; ornamenta verò orationis in omni lingua eadem sunt, ac ob eam rem quæ de illis Græci dixerunt, non magis ipsis, quàm latinis, cæterisq; gentibus vtilia videntur: & cum omnibus hæc ornamenta communia sint linguis, tùm verò longè aliam ob causam eorum vsus à recto prædictorum accidentium vsu institutus est, nam is ob intelligibilitatem necessarius est; ornamenta verò propter voluptatem, delectationemuè, ex quo fit, vt non de verbis tantùm, quemadmodum dicetur inferius, Ars Elocutionis agat, sed etiam de sententijs, quòd à Grammatica omnium consensu alienum habetur. Quapropter cum Artes à fine distinguantur, sit autem finis accidentium, quorum Grammatica est Ars ab ornamentorum fine longè diuersus, diuersas quoque esse Artes illorum necesse est; ita vt Ars de Elocutione, siue de ornamentis orationis, neque Grammatica sit, neque eius vlla pars: sed Ars quædam per se, & absoluta ab omnibus alijs distincta, suum habens, & finem, & munus, à cæterarum omnium

Ar-

Artium fine, ac munere diuersum, de quibus aliqua dicemus, postquàm ostenderimus quid sit ornamentum orationis; ab hac enim cognitione complura dependent quæ de Elocutionis Arte dicenda videntur.

Definitio ornamenti orationis. Cap. IIII.

QVONIAM *Elocutio est ornata oratio, qui vult eius Artem docere, eum de ornamentis tractationem instituere oportet; tunc enim quis ornata vtetur oratione cum adhibere ornamenta cognouerit, non cognoscet autem nisi doceatur: qui autem illum docere velit, & quid, & quot sint ornamenta scire debet, vt singulorum rectam rationem complectatur, quòd ad hanc Artem pertinet; definire enim, ac diuidere iam dictum est altioris esse Artis opus: Verùm quia non dum ea est literis commendata, nullusq; quòd ego nouerim, ad ornamentorum definitionem, diuisionemq; vel primos conatus adhibuit, vtranq; autem esse prænotam oportet futu-*

futuræ tractationi, tentandum est nobis quid ipsi valeamus. Est autem difficile quid sit ornamentum orationis reperire, nisi prius ornamenti naturam simpliciter intelligamus. Primùm autem videndum est quæ ornamentum admittant, non enim huiusmodi sunt omnia, sed ea tantùm quæ ornata dicuntur; nullus autem ornatum saporem dicat, aut odorem, aut tangibile aliquod, & quàmuis orationem ornatam dicamus, quæ videtur aliqua ratione esse obiectum auditus, non tamen audibilia omnia ornata dicuntur, cum perfectum audibile, quæ est Harmonia ornata minimè dicatur. Maximè autem visibilia ornata dici videntur, nam & ornatam dicimus mulierem, virumq; ornatam domum, quoniam in ijs nonnulla videmus quæ afferunt ornamentum: quòd si animum quoque interdum ornatum, ornamentaq; animi Virtutes appellemus, hoc per analogiam, & comparationem facimus cum ijs quæ propriè ornata dicuntur; quæ tamen aliquo modo ornatorum propriè dictorum rationem minimè effugiunt. Animaduertamus igitur in visibi-

sibilibus quid sit ornamentum. Sic dicamus. Ornamentum est aliquid in eo cuius est ornamentum non tamen essentia, aut pars eius; nullus enim dicit hominem corpore, animauè ornatum, aut serram dentibus, aut ensem mucrone, vel acie; & vulgò existimari solet ornamentum esse superadditum quoddā, sine quo & si res ornata non est, illius tamen essentia integra est, atque perfecta, neque enim serra minus est serra cum deaurata non fuerit, aut domus sine opulenta supellectile, aut mulier cum torquibus, praeciosisq; vestibus, caruerit, quae omnia ornamenta censeatur: quapropter ornamentum est accidens, vel accidentale quiddam: non tamen ob id quaecunque visibilibus accidunt ornamenta dicuntur, quaedam enim non modo non ornant, verumetiam coinquinant, faedantq; nam si pulchra vestis maculam contrahat, aut mulieris decora facies vulnere afficiatur, accidunt quidem haec, & vesti, & faciei; longè tamen absunt ab ornamentorum natura. Quod si illud animaduertamus, quae ornata sunt, vel tunc pulchra

dici

dici, vel si natura pulchra sint effici tamen cum ornamentis pulchriora, facilè intelligemus illa accidentia esse ornamenta quæ rei pulchritudinem addant; cuius signum est, quòd ornatum, & pulchrum idem videtur: cum & ipsa corporis pulchritudo, corporis ornamentum vocetur, & quod ornatum est non minus nomine pulchri, quàm ornati appelletur: illud tamen constat, nomine ornamenti magis gaudere pulchritudinem additam; nam & si corporis pulchritudo eius ornamentum dicitur, multo tamen propriè magis Anuli, Armillæ, ac vestes, ita vt propriè ornamentum sit accidentalis, siue addita pulchritudo; est autem Pulchritudo, vt huius nominis significationem declaremus, Perfectio visibilis, quatenus visibile, quod commodiori loco diligentiùs ostendetur; Interea tamen satis patet Pulchritudinem esse obiectum visiuam facultatem plurimum oblectans: vnaquæque autem potentia, siue facultas in sui obiecti perfectione delectatur, quare Pulchritudo est, vt diximus, perfectio obiecti visibilis qua tale, ornamentum autem

cum

cum & ipsum sit Pulchritudo quædam, erit superaddita perfectio visibilis obiecti, quatenus uisibile. Verùm cum hæc sit potius nominis explicatio, quàm substantiæ, progrediendum est ad intrinsecam naturam: Cum itaque Pulchritudo sit ratio perfectionis, uel ipsa perfectio obiecti visibilis vnumquodque autem obiectum tunc perfectum dicatur, cùm ita facultati admouetur, vt ex ea operationem educat perfectam, perfecta autem sit quæ cum voluptate est, uel ipsa voluptas; si fortè illam definiamus Cognoscitiuæ facultatis apprehensionem perfecti obiecti; manifestum est, Pulchritudinem esse obiecti uisibilis Aptitudinem ad oblectandam visiuam facultatem; quemadmodum Harmonia est Aptitudo uocum mistarum ad oblectandum auditum, est enim, & hæc perfectio obiecti audibilis, quemadmodum Pulchritudo uisibilis; quapropter cum ornamentum sit superaddita pulchritudo, sic eum definire posse videmur; Aptitudo superaddita obiecti uisibilis ad facultatem visiuam delectandam: & hæc quidē est ornamenti propria definitio.

Quo-

Quoniam uerò perfecta obiecta ſuas facultates uoluptate afficiunt, fit ut nonnulla Pulchri nomen ſubeant, hoc eſt perfecti in ſuo genere, quemadmodum ab eiusdem uiſiuæ facultatis operatione multarum potentiarum operationes interdum nomen ſortiũtur: nam vide quàm ſit dulce uinum, & quàm leue ſericum dicitur, & uidere naturam, eſſentiamq́; rerum quòd facit intellectus; propterea non mirum ſi eiusdem obiecti abſoluti, atque perfecti nomen quod eſt Pulchritudo aliarum quoque nonnullarum obiectis perfectis communicetur: quapropter & pulchram Animam appellamus, & pulchrum muſicum concentum, pulchramq́; orationem dicimus, vt de cæteris taceamus; quorum nominum ratio eadem Analogice eſt cum ratione Pulchritudinis obiecti uiſibilis, nam quatenus afficiunt, uel ſunt apta afficere uoluptate facultates quarum obiecta ſunt, Pulchra dicuntur, ita ut etiam in illis definiatur Pulchritudo per iam dictam aptitudinem: Cum itaque idem ſit Pulchritudo, & ornamentum præſertim in oratione, quæ enim ornata dicitur,

citur, eadem Pulchra eſt: ob eandem rationem, ſcilicet propter ornamenta quæ habet; ornamentum orationis ita definire poſſe uidemur, eſt Aptitudo orationis ad oblectandas facultates à quibus oratio percipitur; ob id autem non una facultas orationi attribuenda eſt à qua ſuſcipitur, quod in ea eſt, & id quod ſe habet ut materia, hoc eſt ſonus; & quod ut forma, hoc eſt ſignificatio; horum autem alterum quidem auribus; alterum uerò intelligentia excipitur; propterea ornata oratio nō modo aures oblectat, ſed multò magis intellectum, nam ſicut in unaquaque re forma nobilior eſt & magis actiua, Ita etiam validius, ac fortius operatur; propterea ſignificatio, quæ forma orationis eſt, ualidiùs, ac perfectiùs intellectum oblectare debet, quàm ſonus aures: quo etiam fit ut ornamenta non minùs in ſententijs ſint quę ſignificantur, quàm in ipſis uerbis, ut paulò pòſt meliùs oſtendemus. Nunc ad diuiſionem ornamentorum.

Di-

Diuisio ornamenti orationis Cap. V.

POSTEAQVAM *definiuimus ornamentum; tractationis ordo postulat, ut illud in sua genera partianus; utilis quidem, ac necessarius labor, nam de singulis Artem hanc si pro uiribus absoluere cupimus, agendum est; verum arduus sanè, ac longè difficillimus; quique fortaße ob eam rem omnes qui ad nostram usque ætatem de Elocutione scripserunt, uel à primis aggreßibus deterruit, nullus enim, quod sciam, certa methodo, ac non indigna Philosopho, species ornamentorum orationis inuenire tentauit; nisi fortè Grammaticorum ineptias, ingenui, atque eruditi conatus loco ponamus. Nec tamen ego audacior cæteris, sed curiosus magis in re despecta Philosophis propter tenuitatem, ut arbitror, à Grammaticis autem suscepta propter temeritatem; nam si quibus eorum Ars limitibus definiatur cognouißent; in campum Elocutionis tot luminibus, quæ uocant,*

cant, tot figuris, ac propè innumeris quasi contis, aut præustis sudibus ad proprios dominos de possessione deturbandos non irrupisset. Hæc igitur infinita propemodum ornamēta, diuisionis auxilio ad certum numerum redigere nobis conandum est, siue id audaciæ, siue Philosophicæ curiositati, siue virtuti, siue pro vt vnicuique placuerit mihi vitio adscribatur; nam, non vt necessarium est omnium subire iudicium qui scribit aliqua, & in vulgus edit; ita est illi cunctorum censura pertimescenda; propterea audentius ea scribimus quæ sentimus ijs qui sine liuore, atque obtrectatione aliorum labores dijudicant. Dictum est itaque ornamentum esse Aptitudinem orationis ad facultates sibi proprias oblectandas; nunc autem videre oportet ob quam causam orationi adiungatur: id enim fortè afferet nobis lucem ad faciendam diuisionem. Non dubium est orationem etiam, absque ornamentis esse orationem, animiq; notiones significare; cum autem ad id efficiendum instituta sit, quærendum maximè videtur quæ sit ornamentorum necessitas, est autem finis

orationis notionum significatio, sit autem hæc per orationem quoque incultam, & quæ nulla ratione delectet; frustra igitur ornamenta adhibentur. Verùm si rem hanc diligentiùs, atque acrius introspiciamus, hæc, vt opinor, inueniemus: Esse quidem orationis finem notionum significationem proximum, atque intrinsecum, ut vocant, habere autem alios extrinsecos, ac remotiores longe proximo nobiliores. Quæ sic declaranda videntur. Natura fecit hominem sociabilem propter Indigentiam rerum multarum; societatem inire, aut exercere haud possibile est absque vocalibus ijs nostrarum notionum interpretibus, cuius ratio hæc est. In societatem conuenimus propter Indigentiam, & quidem finis primum expetitus est bonum, atque vtile nostrum; quod si alienum expetere uideamur, atque in illo laboramus, id ea ratione contendimus, vt eodem modo, ab alijs vtilitas nostra expetatur, propter beatitudinem enim nostram omnia operamur, atque molimur, & quoniam multa sunt ad eam necessaria, ab alijs opem expectamus,

ac

ac propterea illis nos quoque pro viribus opem ferimus: Non tamen omnia quorum egemus ita sunt alijs cognita, vel non semper ita est nostra egestas manifesta alijs, vt aliquam sui declarationem minimè postulet; quapropter in societatem frustra coiremus, nisi eorum quæ sunt nobis necessariò præstanda ab alijs significationem aliquam haberemus: namque brutis attributa est per inconditas voces hominumq; intelligentiam effugientes, illorum quidem usibus apta satis videtur, & ad eorum vitam sufficiens, quæ multo quàm nostra paucioribus eget: nobis autem minimè esset accommodata; propterea orationem Natura machinata est, eamque hominibus attribuit, vel eius facultatem (ne hic iactatam diu quæstionem definire velle videamur) vt omnia quibus egerent alijs aptè, ac plenè significarent: significatur autem cæteris quod nobis est necessarium, ut illud eorum ope, atque auxilio consequamur; nam secus frustra sociaremur, & Indigentiam patefaceremus: propterea illam oratione significamus, ut alios ad eam à nobis de-

pellandam, prouocemus: orationem autem habere apud aliquem, vt is ad aliquid agendum impellatur, est Persuasionem facere, Persuasionem verò lata significatione accipimus pro omni Impulsione ad agendum, oratione facta; quam Impulsionem alibi commodius in Præcepta siue Iussiones, præces, persuasionemq́ diuidemus; quare Persuasio est primus, ac præcipuus orationis finis: & hæc quidem primum, ac per se propter nostram utilitatem; verum quia in societate degentes aliorum quoque commodis debent inseruire, cum aliquem aliquid agere sit alicui vtile, quod tamen facere minimè uelit; vel cum sit alicui vtile nonnulla effici ab alijs quæ illi minimè uolunt: debet is cui est aliena utilitas curæ, illum illosuè oratione, ac verbis inflectere, atque ad agendum impellere: ita ut persuasio ad alienum quoque commodum adhibeatur. Interdum autem loquimur non ut qui audit aliquid agat, sed ut ea tantùm intelligat, cognoscatuè quæ ipsi sentimus, aut nouimus, ut quando vel rem gestam narramus, uel de rebus Philosophicis, contemplatiuisq́

uisq; differimus: hanc orationem nulla sequitur in audiente impulsio, motusuè ad agendum, sed tantùm simplex cognitio rerum quas oratio nostra complectitur. Hæc alterius disciplinæ sunt propterea leuitèr attingenda. Quòd autem ex ijs colligimus illud est, esse duos orationis fines, Persuasionem, & Simplicem cognitionem, eam autem voco Simplicem cognitionem, quàm nulla sequitur actio: ad hos fines non modo orationem niti oportet, sed etiam omne id quod, orationi additur, nisi frustra addatur, aut illam à naturali usu, ac munere detorqueat: propterea cum ornamenta sint orationis quædam superadditæ perfectiones, existimandum est illi nequaquam officere, sed eam potius iuuare ad proprios fines assequendos: Cum enim oratio instrumentum quoddam sit, & omne instrumentum propter finem; intrinseca eius perfectio est aptitudo ad efficiendum finem: si quid autem addatur illud quatenus tale perficiens, nihil aliud esse potest, quàm aliquid operam præstans ad finem faciliùs, & meliùs assequendum: quare cum oratio per naturam

suam intrinsecam, finem aut fines suos conse-qui apta sit; quod illi accidit non ad fines con-sequendos simpliciter prodest, sed ad faciliùs & meliùs consequendos; id enim demum est addere operanti perfectionem, scilicet uirtu-tem efficaciùs operandi; propterea non iniu-ria ornamenta, virtutes quoque orationis ap-pellantur: est enim uirtus superaddita perfe-ctio faciliùs, ac meliùs operandi, quod om-nino de ornamentis dicendum est: ita ut ob id in oratione collocari dicamus, vt eorum fulcta præsidio, possit oratio Persuasionem fa-ciliùs, ac simplicem cognitionem efficere, pro-pterea hi sunt fines non orationis modo, sed illius quoque Aptitudinis ad oblectandum, ornamentum quod est. Verum nos Aptitudi-nis ad oblectandum species quærimus; non enim arbitramur vnica tantùm ratione con-suesse orationem in auribus, atque animis au-ditorum parere voluptatem. Hæc itaque voluptas siue ad efficiẽdam voluptatem Apti-tudo, est maior quædam facilitas orationis ad fines suos consequendos; quare ea tantùm uo-luptas ab ornamentis efficienda est, quæ facit

ad prædictos fines. Hic tamen prius animaduertere oportet Persuasionem esse Artis Rhetoricæ finem, ac in ea Arte doceri quomodo fiat, in Logica verò quemadmodum probanda singula sint, siue necessaria, siue probabilis cognitio efficienda uideatur, quapropter hæ Artes multum orationē adiuuant ad fines proprios assequendos, imo fortasse totum illarum opus est, dictorum finium effectio: At orationem esse necessariam, uel persuasiuam, hoc est rationes necessarias complecti vel probabiles, & persuasibiles, non idem est, ac esse ornatam, nam ornamenta essent argumentationes, & quo magis hæ orationi inessent, eo ornatior oratio videretur, quod tamen ita falsum est, vt quisquis intelligere potest qui Philosophorum nostræ præsertim, aut superioris ętatis scripta legat, quæ cum multas, ac pernecessarias habeant argumentationes, ęquè tamen inculta, atque horrida sunt: quapropter non id quod in oratione persuasionem, cognitionemuè facit, ornamentum esse censendum est; sed quod gratiorem efficit orationem. Nunc autem quot uarijs

rationibus id efficere possit, uidendum restat. Sic dicamus. Prima vniuscuiusq; operationis voluptas uidetur facilitas effectionis; natura enim difficultas, & labor molesta sunt; quæ autem facilè fiunt, ob id ipsum fiunt libenter, ac voluptate afficiunt; nam facilè aliquid facere est id non repugnante natura, sed illa potius iuuante, atq; fauente; efficere Voluptas autem, uel est actio secundũ naturam, Motusuè, uel sequens, aut sociatus illi: audientis autem actio, quàm efficit per orationem Intelligentia est, quid enim agit is qui audit? nisi quod orationem auribus, atque animo excipit; siue id actio appelletur siue passio: dummodo enim motus qui in illo per orationem fit, facilè fiat, & absque molestia; hoc est facilis intelligentia sit, prima illius voluptas existit, quæ oritur à perspicuitate; tunc enim oratio facilè intelligitur cum Perspicua est; quapropter hoc primum ornamentum orationis censemus, quod ornamentum simplici cognitioni, quæ est alter orationis finis, inseruit: hæc enim cognitio intelligibilitate tantùm indiget, quæ si augeatur, maio-

rem

rem hic finis aſſequetur ſuæ effectionis facilitatem: Verùm quemadmodum accidit in medicinis, quæ auerſo animo ab ęgrotis ſumuntur, ſi eas medicus omnino ſumi velit; quo hi libentiùs accipiant, non modo deglutitu hauſtuuè faciles perat, ſed guſtu quoque ſuaues; ita ſi quando eſt adhibenda oratio propter finem aliquem valde neceſſarium, quemadmodum eſt perſuaſio; contingat autem ęgrè, eam & auerſa prorsùs voluntate ab eo qui perſuadendus eſt audiri, neceſſe eſt non modo orationem facere Perſpicuam, ſed etiam Iucundam, vt non ſolùm absque moleſtia propter Claritatem, ſed etiam libentèr, & gratè propter Suauitatem excipiatur. Perſuaſio enim ab Argumentationibus, affectuumq; commotionibus fit; verum tunc fit, quando auditur, atque animo ſuſpicitur oratio, & id non oſcitanter, ac leuiter, nam perſuadere eſt animum impellere; qui motus eſt multo validior, quàm ſit cognitio ſimplex, & propterea debet Perſuaſiua oratio vim maiorem habere, quàm quæ rem tantùm aliquam ſignificat vel narrat; & vim quidem habet à per-

persuasibilitate, quàm Rhetorica docet, & si qua alia Ars in ea laborat; Verum persuasibilitas nihil efficere potest, nisi audiatur oratio, & auidè arripiatur; tunc enim ad intima animi faciliùs descendit, persuasiua orationis virtus; quapropter cum id fiat, si Iucunditas, Suauitasq; adhibeatur; vnaquæque enim actio libentiùs fit quo maior in illa efficienda perfunditur Agens voluptate fatendum est Suauitatem maximam esse virtutem orationis. Quare non modo Perspicuitas est ornamentum orationis, sed multò maiùs Suauitas; cuius quoniam proprium est oblectare, non molestiam modo depellere, videtur non tantum ornamentum, sed propriè, ac verè ornamentum. Hæc igitur duo fortasse quis satis esse existimabit, cum vniuersam orationis voluptatem complectantur. Verùm si in ea quæ notiora sunt inspiciamus, aliud quoque ornamentum reperimus: Nulli enim dubium est ex ijs quæ oculis percipimus, & molestia nos affici, & voluptate; quæ autem voluptatem faciunt, ea non eiusdem generis esse uidentur, nam pulchra quidem omnia delectant;

ctant; verum noua, magna, atque admirabilia, ipsa quoque delectant, aliud tamen rerum genus videtur, & voluptatis; quis enim neget alia se dum venustam intuetur, mulierem voluptate affici, ab ea qua pertentatur Animus, ac expletur ferè, dum videt Magnos, ac fama Celeberrimos Principes, Ducesuè, aut nouos gentium mores? Hæc igitur eadem voluptatis differentia in oratione reperitur, quando enim suauis est, voluptatem quidem afficit, at verò quando grauis eo quod admirabilia quædam, & magna significet, non minus oblectat, sed fortè magis, & si non eodem voluptatis genere, sed longè diuerso; quare Grauitas quoque ornamentis adnumeranda est, quæ gratissimam efficit orationem, & audientium animos maximè facit attentos; ac propterea Persuasioni plurimum est accommodata: præter hæc autem nullum aliud videtur necessarium ornamentum, neque enim alia ab oratione qua oratio est fieri potest voluptas. Quapropter genera ornamentorum orationis Tria esse dicamus. Perspicuitatem, Suauitatem, Grauitatem. Quibus

simi-

si minus acquiescent, quos elegantiæ sermonis cura tenet ipsi meliùs aliquid excogitent, non enim scribere volentibus inter præcidimus, nec oracula fundere profitemur, sed sumus ad discendum paratiores, quàm ad docendum. Interea tamen quod cæpimus absoluemus; ac de tribus ijs nonnulla dicemus quæ necessaria videntur, antequam singulorum tractationem aggrediamur.

De Perspicuitate, Grauitate, Suauitate Cap. VI.

EST itaque Perspicuitas orationis ornamentum, nam & ipsa voluptatem facit, vt dictum est, Constituitur autem oratio in esse suo per intelligibilitatem, tanquàm per formam; accidit autem aliquando intelligibilitatem inesse orationi tàm exiguam, tanquàm per obscuram, vt magnum auditoribus negotium facessat: hanc igitur facilem reddere, atque ita efficere, vt oratio ad animum audientis notiones, quas significat facilè transmittat, hoc demum est orationi adiun-

gere Perſpicuitatem: quæ definitur orationis Aptitudo ad facilè tranſmittendum ſignificatos animi ſenſus ad intelligētiam eius apud quem oratio habetur; quemadmodum Perſpicuitas in quibus propriè dicitur, Aptitudo eſt medij ad facilè tranſmittendam viſilem ſpeciem ad oculum. & quoniam in actionibus quodcunque laborem demit gratum eſt, grata quoque in oratione Perſpicuitas habetur. Hoc facilè quisque intelliget ſi poſt Cornelij Taciti lectionem, aut Maioris Plinij; latinæ eloquentiæ Principem, aut etiam Diuini Viri C. Cæſaris Commentarios legat, his enim tanta ineſt præter cætera ornamenta Perſpicuitas, vt meo quidem iudicio, latinos omnes ea virtute is Autor ſuperauerit: nam de incomparabili Poeta ſatis conſtat, ſi cum Ampullatis ſepijs Lucano, Statioue conferatur. Hoc tamen ornamentum eſt inter cętera infimum, nam potius depellit moleſtiam obſcuritatis, quàm afferat aliquam certam uoluptatem; quapropter cum minus quam reliqua delectet ornamenti quoque nomen, naturamq; minus ſubit; idque alia non leui ratione; dictum eſt

enim

enim ornamenta esse perfectiones non essentiales, quemadmodum formæ rerum, sed accidentales, Perspicuitas verò proximè ad formam orationis accedit, nam forma est Intelligibilitas, quæ est orationis aptitudo ad significandas eas quæ sunt in animo rerum notiones, Perspicuitas verò est huius Aptitudinis intentior quidam gradus, habet enim latitudinem; quapropter quando eò peruenit, vt facilè suo munere fungatur facilitas illa vocatur Perspicuitas, quæ orationis est forma in summo suæ perfectionis, vel perfectio formæ orationis. Hinc fit vt, propè ad illius essentiam accedat, & intrinseca magis perfectio videatur, quàm superaddita: Verùm quia absque intrinseca perfectione nulla res est in suo esse, oratio autem etiam cum obscura est, nomen, naturamq́; orationis conseruat, Perspicuitatem perfectionem eius intrinsecam, illique necessariam non esse, satis apparet. Quoniam verò formarum quædam intenduntur, ac remittuntur, Intelligibilitas quoque orationis quæ illius forma est intentionem, vt Philosophi dicere consueuerunt,

re-

remiſſionemq́; ſuſcipit, intentioniſq́; eius ſupremus gradus Perſpicuitas appellatur: quapropter ſicuti candor non eſt albedo, ſed albedinis intenſus quidam gradus, ac propterea dici albedinis accidens quodammodo poteſt, eadem ratione Perſpicuitas orationis, cum ſit Intelligibilitatis intentio, accidens quoddam illius, & perfectio dicitur, ac ob id inter ornamenta cenſetur. De Suauitate verò ambiguum non eſt, An ſit ornamentum, cum & intelligibilitati accidat, & maximam afferat orationi Aptitudinem ad faciendam voluptatem; ita vt mirum ſit eius minimè rationem habuiſſe Clariſſimos quoſdam uiros, qui Perſpicuitatem, Grauitatemq́; tantummodo orationis eſſe virtutes exiſtimauerunt; nam & ſi delectat plurimum oratio Grauis, & Perſpicua, non tamen Grauitatem, Perſpicuitatem, aut eorum miſtionem Suauitatis Voluptatem efficere exiſtimamus, longè enim eſt aliud Suauitas; nam Perſpicuitas moleſtiam potius depellit, quàm pariat voluptatē; à Grauitate verò ea fit, quæ ab admiratione, ac veneratione; Suauitas verò eſt qua perfun-

funditur. Animus audientis rerum iucundarum auditione; delinitur'q; non modo animus, sed aures quamplurimum: verborum enim apta dispositio, ex quo numerus orationis oritur ad hoc ornamentum pertinet; voluptatem'q; huic propriam efficit; at uerò orationis numerus, nec Perspicuitati, nec Grauitati iure ascribi potest. Maiore igitur nos eam ratione adsciscimus inter ornamenta quam illi reiecerint. Verùm de Grauitate magna nos manet difficultas, videtur enim non ornamentum, sed mos; Grauitas enim idem est quod Prudentia; nam eodem nomine eos appellamus quos dicimus Prudentes, & omnino siue idem sit cum Prudentia, siue aliud quidpiam, manifestum est cum viros quosdam Graues vocamus, morem in illis nos velle significare. At verò mos non est orationis ornamentum, sicuti neque Ira, Amor, aut cæteri affectus, ac propterea falsi sunt quicunque inter ornamenta Morem admiscuere, Seueritatem, Mansuetudinem, Veritatem, aut Vim, Vehementiamuè, Acrimoniam, & huiusmodi; non enim quicquid in oratione

ne

ne eſt, id eſt eius ornamentum: poteſt quidem eſſe oratio Iracunda, Incitata, Vehemens, Acer, Seuera; at hæc ornamenta non ſunt; poteſt enim eſſe & demonſtratiua, & probabilis, & Sophiſtica: Mores igitur, affectusq; ornamenta minimè ſunt, propterea limites huius Artis tranſcendunt, & ad Oratorem, Poetamq; pertinent; nam hæc ſunt ad perſuaſionem, non ad comparandam orationis elegantiam. Igitur cum Mores ornamenta orationis non ſint, ſit autem Grauitas mos quidam haud exigua ſuboritur dubitatio; An hæc ſit inter ornamenta collocanda; non enim eos ſequi oportet, qui vt dictum eſt mores eſſe ornamenta orationis exiſtimant, ac propterea loquentes de elocutione, non minus de Veritate, Seueritate, Acrimonia, & horum ſimilibus agunt, quam de Perſpicuitate, Suauitate, & Grauitate, in hunc autem errorem, facilè eſt omnes labi, qui ornamēti definitionē ignorant. Soluamus propoſitam difficultatem. Dictum eſt in diuiſione ornamentorum ob eam rem Grauitatem eſſe ornamentum, quod magnitudine,

vel nouitate admirationem quādam excitet, ex qua voluptas quædam oritur: hæc magnitudo, & nouitas non in sententijs tantum reperitur, sed etiam in uerbis, verborumq́; compositione; in quibus; vti existimo, nullus mos inueniri, aut cognosci potest: nec idem in oratione Grauitas significat, quod in homine, in eo enim siue Prudentiam, aliamuè Virtutem significet, siue non; morem omnino aliquem significare videtur, in oratione verò id tantum quod ciet admirationem, tàm ratione verborum, quàm sententiarum. Quòd ornamentum & si fortè alio commodiore vocabulo fuit appellandum, quoniam tamen hoc longa iam præscriptione temporis, vsus possessionem sibi comparasse videtur, illud immutare nolui, ac de suo iure deturbare; non enim absurda omnino appellatio est, nam orationis Grauitas dicitur, vel quod ea Viri Graues vtantur, vel quod quemadmodum grauia cum decidunt magnum ictum faciūt, ita hæc in audientium Animis magnum efficiat motum, magniq́; apud eos ponderis sit. Grauitas itaque non est mos in oratione, sed

orna-

ornamentum à vulgatis, ac inter plebem uersantibus sententijs, verbisq; abstinens, noua tantum magna, & admiratione digna complectens, ex quo fit maximum esse, ac nobilissimum ornamentorum: cum enim ornamenta sint propter uoluptatem, illa quæ voluptatem nobiliorem efficiunt ea nobiliora sunt; est autem voluptas, quæ à Grauitate fit multò nobilior, à nobilioribus enim rebus ortum habet: nam quæ à suauitate fit à rebus Iucundis est, hæc verò à magnis, atque admirabilibus. Iucundus esse Helenæ aspectus, aut si qua est ea pulchritudinis fama celebrior; Admirabilis autem Dictatoris Iulij Cæsaris præsentia: quis igitur voluptatem ex formatissimę mulieris aspectu, eximij illius viri praeferat voluptati? Verùm id alia ratione meliùs. Voluptas ornamentorum quæritur, vt grata sit oratio, hoc est vt libentiùs, & maiori attentione excipiatur, maiore autem excipitur Grauis, quàm Iucunda, aut Suauis; Admiratio enim magis excitat animum, quàm Suauitas, nā hæc illū demulcet, ac delinit, & quasi consopit; admiratio uerò concutit,

tit, & ad se rapit. Igitur cum maiorem efficiat Grauitas attentionem, quàm Suauitas, perfectius, ac nobilius ornamentum est Suauitate, hæc verò Perspicuitate præstantior, Grauitas igitur omnibus præstat ornamentis.

De Munere huius Artis. Cap. VII.

NVNC *ea dicenda sunt, quæ restant de Arte Elocutionis, quæ ob eam rem hucusq; distulimus, quod nisi ijs declaratis quæ de ornamentis dicta sunt probari, atque intelligi minimè poterant. Satis itaque dictum est primo capite, non esse huius Artis definitiones, diuisionesq; facere, sed ornamenta rectè efficiendi rationem ostendere, ac de eo præcepta tradere, quòd leuiter superiùs attactum diligētiùs hic aperiendum est: Dico enim doctrinam efficiendi ornamenta omnia in oratione, hac Arte contineri; ita vt non de verbis tantummodo laboret, quemadmodum nonnullorum opinio tulit, verum etiam de sententijs. Cum enim ad oblectandum*

dum ornamenta adhibeantur, hoc autem sententiarum sit præcipuum opus, nam Perspicuitas, Suauitas, & Grauitas ab his potissimùm fiunt; manifestum est ijs quoque in Elocutionis Arte locum non esse denegandum, Verùm quòd eos fefellit animaduertamus. Nam ad Artes alias, Scientiasq; sententias pertinere existimauerunt; ita vt si quis de Deo, de Cælo, aut rebus naturalibus differat; siue de moribus, ac legibus, Reip. Institutione, & huiusmodi, eum à Contemplatiua Philosophia, & quæ actiua vocatur sententias sibi comparare oporteat, quis enim arbitretur præter Philosophos de rebus illis posse quenquam instituere tractionem? Verba enim quibus vtuntur apud omnes in vsu versantur, at uerò quòd illis proprium est sententiæ sunt, Verba igitur non sententiæ pertinent ad Elocutionis Artem: si enim hæc Ars sententias quoque complectatur, diuina profecto est, atque vna præ cunctis alijs, imo ea tantùm cæteris omissis addiscenda: Nam si de qualibet re ornatè loqui doceat, quemadmodum de Rhetorica Tullius opinatur, hoc autem est

sententias quoque ornatas dicere, meliùs autem est, ac laudabiliùs quaque de re ornatè loqui, quàm inornatè, quicquid in cæteris Artibus, scientijsq; docetur, in hac longè profectius doceri fatendum erit; cum in illis de re aliqua loqui tantùm doceamur; in hac uerò de omnibus ornatè. Hæc uerò perabsurda sunt: quapropter asserendum videtur uerborum ornatum esse huius Artis munus, cæterum oportere eam à sententijs abstinere. Huic tàm perplexæ dubitationi, ita respondendum existimo, ea ratione qua censent omittendas esse, ac silentio prætereundas in hac Arte sententias, eadem de verbis quoque non habendam esse orationem: Nam si omittantur sententiæ, quod illas efficere alterius facultatis, ac disciplinæ sit: verè enim propositiones, conclusionesq; Physicas, Physicus facit, Politicas uerò, Politicus, non Ars de Elocutione; non dissimili argumento Verba quoque ad hanc Artem minimè spectare cognoscemus, non enim ab ea fiunt; nam quemadmodum Grammatica, ita Ars de Elocutione linguæ cognitionem supponit; quapropter nec

verba,

verba, nec ſententias facit, ſed aliud eſt eius munus; Quod ſit; vt reor, oſtendendum eſt. Quicunque loquitur de re aliqua loquatur neceſſe eſt; hanc illi vel Natura ſufficit, vel Ars aliqua, aut Diſciplina; de illa verò loqui non poteſt, niſi eam prius animo concipi; illa aut rerum animi perceptio appellatur Notio; hanc ſi alijs patefacere velit, & quaſi inuolutam explicare, atque exponere aliorum cognitioni, verba ſunt neceſſaria, quæ non niſi ad eum finem adhibentur; ita vt quicunque loquatur nihil efficiat aliud, quam quod notiones, verborum auxilio ferat in medium; propterea eũ qui loquitur ea omnia ſibi parata habere oportet: Verba quidem linguarum cognitio ſufficit, ſententias verò, ſiue Notiones Scientia, vel Ars, vel Senſus; Accidit autem neque Notiones omnes, neque verba ad oblectandum eſſe accommodata, eauè ornamenta habere, de quibus dictum eſt paulò antè; propterea in ijs tanquàm ſubiecta materia Ars Elocutionis verſatur, & quid eligendum, atque in orationem transferendum quid non, & ſi quid fortè deſit, vt ali-

quandò in verbis contingit, qua ratione supplendum, suis præceptionibus ostendit: Non tamen ipsa Eligit, aut illis vtitur, sed alius Artifex, siue Poeta, siue Orator, siue Historicus; nam quemadmodum Logicus argumentationum, & sciendi instrumentorum præcepta complectitur, is autem qui illa efficit Logicus non est, sed Philosophus actiuus, siue Contemplatiuus, ita Ars de Elocutione ornatam orationem efficiendi rationem ostendit, nequaquam tamen ipsa eam efficit: ex his enim Artibus est, quæ præceptiuam tantum partem habent, non quod omnium præceptiones ad operandum recta non contendant, sed quod is qui ex ea agit, operaturuè, ab ijs nomen præceptionibus, siue ab Arte in qua illa traduntur minimè sortiatur: quare neque definiens, neque diuidens, aut demonstrans Logicus dicitur, sed nomen suscipit à materia, neque is qui ornatè loquitur ab Elocutionis Arte appellatur, sed vel Poeta, vel Orator, & huiusmodi; quod qua ratione contingat commodiori loco demonstrabitur. Hæc igitur Ars, verba, sententiasq; nec facit, nec

eligit, sed efficienda, innouandaq; si sint uerba, rationem ostendit, & verba, sententiasq; rectè eligendi modum tradit. In eo autem etsi magna ornamentorum orationis pars constituta est, non tamen omnis; nam præter electionem verborum, ac sententiarum, non minùs fortasse ornamentum in vtrorumque compositione constitutum est; oratio enim siue locutio, non est vnum tantùm verbum, vel sententia, sed complexio, atque compositio multorum verborum, atque sententiarum, quemadmodum autem nō in auratis tantummodò trabibus, expolitisuè lapidibus pulchritudo domus constituta est, sed in eorum quoq; apta dispositione, atque structura, sic in oratione de verbis, atque sententijs existimare oportet. Quapropter huius Artis munus est electionem sententiarum, atque verborum docere, & vtrorumque structuram, Compositionemq; ad ornatam efficiendam orationem demonstrare.

De

De Perſpicuitate Sententiarum. Cap. VIII.

CVM itaque primum, ac præcipuum sibi locum in oratione vendicent Animi Notiones quas nomine ſententiarum appellamus, de his primũ verba facere oportet. Sic dicamus. Cum Perſpicuitas Aptitudo ſit orationis ad facilè patefaciẽdum quod ſignificat, Perſpicua ea dicetur Sententia quę hanc habeat Aptitudinem, quæ ſcilicet facilè intelligi poteſt. Verùm quænam ſunt illæ ſententiæ, quas facilè conſequimur intelligentia? Hoc videndum. Satis conſtat Sententias eſſe rerum notiones quas animo geſtamus, non quaslibet, ſunt enim rerum quoque ſimplicium, verum arbitramur illas eſſe complexas ea ratione qua Logici ſuas dicunt propoſitiones; nam & ſi plures rerum ſpecies in animo componas, quæ nullum habeant commune vinculum fruſtra complexas appellabis; quare iungi eas nexu quodam oportet, non quouis, nam ſi dicas Leonem, atque Elephantum,

ſen-

ſententiam minimè dices; ſed ea ratione qua propoſitiones dicimus eſſe complexas, verè enim ſententia nihil eſt fere aliud quàm propoſitio, ſiue enunciatio quædam; hæc autem oratio affirmans, vel negans, à Logicis definitur, quæ tamen vera non eſt ſententiæ definitio, non enim eſt oratio cum in Animo ſit, nec ſemper manifeſtè affirmat, aut negat; propterea meliùs eam eſſe dicemus complexionem prædicati, & ſubiecti in mente, quod Grammatici dicerent Nominis, & verbi fortaſſe non malè; non enim ſemper in ſententia eſt affirmatio, aut negotio quod innuere videntur nomina prædicati, & ſubiecti, Nam apud Logicos, Iſtæ haud propoſitiones dicerentur

I ſoror, atq; hoſtẽ ſuplex affare ſuperbum, &
O mihi præteritos referat ſi Iuppirer annos.

quas tamen eſſe ſententias negare non poſſumus; ego tamen dummodo ſanè intelligatur quancunque Sententiam prædicati, ac ſubiecti complexionem appellabo, nam nomen ſubiectum dicam, prædicatum verbum, vel quę adiuncta ſunt ad formandam ſententiam;

cui

cui omnino verborum, ac nominum mistio necessaria est, non enim aut nomina tantùm, aut verba sententias faciunt. Igitur quoniam ad ea quæ dicenda sunt prædicati, ac subiecti nomē plurimum est accommodatum, illo vtar, hac tamen adhibita præfatione ad eius non absurdam intelligentiam. Sententiæ itaque sunt rerum species quædam, atque imagines in animo, à quibus rebus omnem Perspicuitatem, obscuritatemq́ sortiuntur, quemadmodum enim si rei alicuius notæ videas depictam Imaginem, figuramuè facilè eam agnosces, & quam rem oculis obÿciat intelliges, è contra verò si sit rei ignotæ; ita quicunque velit de sententiarum Perspicuitate ferre iudicium, eum rerum notarum, ignotarumq́; rationem habere necessarium est. Perspicuæ igitur sententiæ de rebus Notis sunt: res autem notæ uidentur uel per se, vel per aliud: quæ per aliud, in secundo facilis notitiæ loco consistunt; quare loquendum de ÿs quæ per se noscuntur ab omnibus: sunt autem hæ quarum cognitio, vel Natura inest quod nonnulle de primis principÿs arbitrantur,

vel

vel acquisita quidem, sed per ea quæ omnibus communia existunt, & quibus peræque omnes vtuntur: huiusmodi habentur sensus, quapropter sensibilia sunt omnium obuia cognitioni; quæ verò intellectu, in scientia aliqua, vel Arte percipiuntur, ea omnibus nota non sunt, propterea quod non omnes scientiarum, Artiumuè laborem subeunt, aut in assequenda rerum cognitione curam, studiumq; adhibent. Quoniam verò dictum est Sententias esse Complexiones prædicati, ac subiecti, Perspicuitas earum non minus subiecto, quàm prædicato, ac vtrorumq; coniunctioni deberi videtur: nam si res, de qua sermo est, cognita sit, quod tamen de illa dicitur ignotum, absque dubio sententia Perspicuitatis ornatum sibi iure non vendicabit; eademq; ratione subiecto, ac prædicato cognitis, atque perspectis, in obscuro autem eorum connexione versante. Vno igitur modo sententia in Perspicuitatem euadit, tribus autem simplicibus, & quatuor mistis labitur in obscuritatem, obscura enim sententia est, vel quia sit ignotum

Su-

Subiectum tantùm; vel
Prædicatum tantùm; vel
Connexio prædicati cum subiecto; vel
Subiectum, & prædicatum; vel
Subiectum, & connexio; vel
Prædicatum, & connexio; vel denique
Subiectum prædicatum, & connexio.

Verùm quoties vel subiectum vel prædicatum, vel multo etiam magis vtrunque ignotum est, aut obscurum, obscuram quoque oportere esse connexionem manifestum est, ita vt sit semper cum eorum obscuritate coniuncta; nec possit esse Perspicua, nisi cum sit vtrumq́; Perspicuum, nec etiam tunc necessario: Quapropter nec subiectum tantùm, nec prædicatum tantum possunt esse in sententia, uel ignota, uel obscura, sed esse obscuram connexionem quoque necesse est: ita ut hi sint obscuritatis sententiarum modi, vnus quidem simplex, tres verò misti. Hoc est, vel

Connexio tantummodo; vel
Subiectum cum quo ex necessitate connexio; vel
Prædicatũ, & ex necessitate connexio; vel

Su-

Subiectum, & prædicatum, & ex necessitate Connexio.

Connexio in sententijs apud Poetam diuinum in sexto Æneid.

——Facilis est descensus Auerni
Sed reuocare gradum, superasq; euadere ad
Hoc opus, hic labor est. (auras

Nam quid sit, quidue significet Auerni descensus quod est subiectum facilè intelligimus; eadem ratione notissimùm est quid prædicatum significet quod est facilis, An verò ita sit, hoc est, An sit Auerni discensus facilis, quod est connexio non valde liquet: quod autem in eodem libro dicitur

Principio cœlũ, & terras, camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunę Thitaniaq; astra
Spiritus intus alit.

Subiectum est Spiritus, cætera uerò prædicationes; Igitur quid spiritus significet ignotum, quod est à Platone discendum; dico autem ignotum vulgi Intelligentiæ; Animam mundi spiritum appellat, quemadmodum Iouem in Eglogis.

A Ioue principium Musę Iouis omnia plena.

Illa

Illa verò Iuuenalis

Nam si docta nimis cupit, & facunda videri
Crure tenus medio tunicas succingere debet
Cædere Siluano porcum, quadrante lauari.

Hæc propositio conditionalis est, vt à Logicis appellatur, subiectum est

——Si docta nimis cupit, & facunda videri.

quod est de muliere dictum in re literaria intempestiuè, ac procacitèr ambitiosa: & hæc satis aperta, reliqua verò sunt prædicatum, minimè intellectu facilia ijs, qui antiquos Romanorum mores non teneant: nam id totum significat oportere eam Vestes Oratorum inducere; solitudinem petere, ac exiguo præcio corpus abluere, vt pauperes Philosophi, ac Poetæ faciebant. Hæc exempla, se mihi obuiā obtulerunt; poterit autem quisque per se, quoties Autores leget in aptiora ad hæc declaranda incidere; dummodo enim ita res sit ut dicimus, quod veritatis est, ac Iudicij, non insumenda est opera in exemplis, quod est laboris, ac diligentiæ, non enim instruendos, informandosq; pueros hoc opere suscepimus; Nec scribimus ista bonarum Artium rudibus;

bus; propterea nisi fuerint exempla singulis adiuncta præceptionibus sciant in posterum qui legent, cur in eo fuerimus negligentiores. Quod verò minimè videtur silentio prætereundum illud est; aliam esse obscuritatem connexionis ab obscuritate prædicati, ac subiecti; hæc enim obscuram facit sententiã, atq; intellectu difficilem, connexio verò ignota, aut obscura, non intelligentiam facit difficilem, sed assensum, non enim in ea est obscura significatio, sed veritas; vnusquisque enim perspectis terminis, atq; intellectis, quid eorum coniunctione intelligatur agnoscit, verũ sæpè de falsitate, aut ueritate dubitat: hoc autẽ ad Artẽ Elocutionis nõ pertinet, propterea orationis ornatum minimè deturpat, nec minus ob eam rem Perspicua dicitur sententia; quapropter vniuersa Perspicuitas, vel obscuritas à subiecto, & prædicato ortum habet, Nota itaque hæc esse oportet: Sunt autem nota, vt diximus, naturaliter cognita si qua sunt, & obuia sensibus; & quoniam homo sociabilis est, & in vitæ communione versatur; vsu atque assuetudine quotidiana,

quæcunque ad vitam Ciuilem spectant, & præsertim ad eam tuendam, conseruandamq́ necessaria facilè omnes agnoscunt; quin ea in cognitione ita quisque se cæteris præstare existimat, vt nullus sit qui facta magnorum virorum, ac Principum sub iudicij sui censuram non vocet; ac non se meliùs prudentiusuè ea facturum fuisse profiteatur: quod facilè ostendit, quantam omnes rerum Ciuilium se habere cognitionem opinentur: quapropter & si harum Ars, atque doctrina quæ præcepta complectitur nota omnibus non est, illa tamen quæ in communi vsu posita sunt, & quibus Ciuilis vita continetur facilè sunt omnibus perspecta. Hæ igitur res Perspicuæ dicuntur; obscuræ verò intelligibiles, & quæ labore multo, ac diligentia cognoscuntur, vt quæ ad Scientias, Artesq́; pertinent, & quæ fabularum cognitionem Historiarum, morumq́; populorum postulant, & quę de his sententiæ habentur per se obscuræ sunt: Dico autem per se, nam poßunt per accidens quoque sententiæ eße obscuræ; quod explicandum est: si enim longiores, aut breuiores sint, obscuritatem

tatem

tatem pariunt; longiores quidem ratione subiecti, vel prædicati, quod multa subijciantur, vel prædicentur, uel si unum sit prædicatum, subiectumuè, multis tamen verbis eorũ vtrumque vel alterum significetur, uel quomodocunque aliqua ad ea pertinentia adiunguntur, quæ faciunt illa multiplicia: aut demum si quid alienum sententiæ interponatur quales sunt parenthesis, & horum similia; In his itaq; rerum numero confunditur Animus; vel si longius à primis, vltima distent defatigatur memoria; propterea mens omnia difficillimè capit, dum enim præsentia sequitur intelligentia, superiorum obliuiscitur. Breuitas autem obscuritatem facit cum necessaria omittuntur, vt subiectum, aut prædicatum, vel eorum copula; tunc enim accidit animum in incerto esse, nec quid desit posse vaticinari harum similes apud Cornelium Tacitum infinitas propemodum reperias. Longissima quidem illa sententia est ratione subiecti, quàm M. Tullius in secundo de Natura Deorum ex Arist. transtulit; non quod multa suscipiat loco subiecti, sed quod multis

subiectum conditionibus prefiniat, ac circumscribat, vt tale sit quale vult Arist. intelligi in illa sententia. Si essent, inquit, qui sub terram semper habitauissent bonis, & illustribus domicilijs, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructaq; rebus ijs omnibus quibus abundant ij qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam super terram; accepissent autem fama, & auditione esse quoddam numen, & vim Deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus euadere in hęc loca quę nos incolimus, atque exire potuissent: cum repente maria, ac terras, cœlumq; vidissent, nubium magnitudinem, uentorumq; vim cognouissent, quod is diem efficeret toto cœlo luce diffusa; cum autem terram nox opacasset, tum cœlum totum cernerent astris distinctum, & ornatum, Lunæque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumq; omnium ortus, & occasus, atque in omni ęternitate ratos, immutabilesq; cursus: hæc cum viderent profectò, & esse Deos, & hęc tanta opera Deorum esse arbitrarentur. Quapropter sententiæ

per

per se Perspicuæ, de rebus scilicet facilè notis omnibus, quàm simplicissimæ, & incomplexæ enunciandæ sunt, ita ut quam maximè fieri possit subiectum, & prædicatum simplicia sint, & ab alienis expurgata: E contra verò uidendum est ne nimia breuitas obsit in illudq; incidamus.

———Breuius esse laboro obscurus fio.

Propterea totum id quod extra animum est in rerum Natura, vel cuius imago sententia est exprimatur, ne propter defectum alicuius rei necessariæ sententia obscuretur.

De Suauitate Sententiarum. Cap. IX.

S*VAVITAS quoque sententiarum ab ipsis rebus est, propterea videndū quæ sint res Suaues. Suauia sunt quæ afficiunt voluptate; à quibus tamen disiungimus, magna, & admirabilia, horum enim alias species est voluptatis, vt diximus, Verùm ea intelligimus quæ cum sint quarundam potentiarum obiecta perfecta, ex ijs gratam, Suauemq;*

actionem educunt, ac præsertim ex facultatibus, potentijsuè quarũ absolutus, ac perfectus vsus omnibus est facilis, & communis: ex quo fit huiusmodi voluptatem ad sensus maximè pertinere; nam quæ ab intellectu suscipitur, non omnibus communis est, ea præsertim quæ ab obiectis arduis, ac longo labore perquisitis existit: nam quæ absque labore intelliguntur, si quid habeant delectabilis possunt inter suauia censeri. Vt quæ vrbanè, faceteq; dicuntur. Verum dicamus aliquid de rebus Suauibus, & si ea diligentiùs inquirere altioris est negotij. Suaue est quod voluptate afficit: Bona tantummodo vera, vel falsa ueri specie; afficiunt voluptate: Bona sunt uel animi, uel corporis, uel externa, hæc omnia qua susceptibilia, ac fruibilia nostri aliqua, uel nostrorum facultate grata sunt, & Suauia, nec eo tempore tantùm quo illis fruimur, verũ etiam dum ea spe præsumimus, aut memoria repetimus: Sunt autem horum quædam quę non omnes delectant si orationi admisceãtur, illa præsertim quę ad animum spectant; non enim de uirtute, ac sapientia omnibus grata est oratio:

tio: quædam verò delectant non omnes, sed eos tantum à quibus possidentur, uel re, uel spe, uel etiam memoria, ut opes, honores, & huiusmodi, quapropter ijs tantùm est grata oratio de illis; quę uerò sunt omnibus communia, & comparatu facilia, & nobilium facultatum obiecta; etiam dum commemorantur voluptatem pariunt: ea sunt sensibilia, & nobiliorum pręcipuè sensuum nobilissima obiecta, & uaria, plurimum enim ad voluptatem facit rerum, siue obiectorum uarietas: Inter sensus verò is iure nobilissimus habetur, quo tot colorum generibus, ac rerum uarietate perfruimur; propterea obiecta eius, & propria facultate suscepta, & oratione significata summoperè delectant. Suauissima itaque sunt omnia ferè quæ in secundo de Natura Deorum, illa verò quouis nectare multò suauiora.

,, *Principio terra vniuersa cernatur locata in*
,, *media mundi sede solida, & globosa; & vn-*
,, *dique ipsa in sese nutibus suis conglobata, ve-*
,, *stita floribus, herbis, arboribus, frugibus;*
,, *quorum omnium incredibilis multitudo in-*
,, *satiabili uarietate distinguitur: Adde huc*

» *fontium gelidas perennitates, liquores perlu-*
» *cidos amnium, riparum uestitus uiridissimos,*
» *speluncarum concauas altitudines, saxorum*
» *asperitates, impendentium montium altitu-*
» *dines, immensitatesq́; camporum; adde etiam*
» *reconditas auri, argentiq́; venas, infinitamq́;*
» *vim marmoris; quæ uerò, & quam uaria ge-*
» *nera bestiarum? vel cicurum, uel ferarum;*
» *qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecu-*
» *dum pastus? quę vita siluestrium? & reli-*
qua pari ornatu, atq; elegantia, quę qui etiam Amatæ osculis non longè existimet Iucundiora, meritò aduocet perditę mentis comploratores. Huic autem ornamento suauitatis ualde est Affine Vitium Mollitiei: Dicimus autem Molles in omnem luxum effusos, & mancipia voluptatum, quibus ita sunt obnoxia, ut mollia ferientibus, quorum facilè offensiones admittunt: igitur mollis oratio est quæ plus ęquo indulget Suauitate; Molles uerò Sententiæ quę modum excedunt in Suauitate, non quod fœda, aut turpia significet, aliud enim est in oratione turpè, aliud molle: sed quod rei, de qua sermo est, uel personæ loquen-

tis,

tis, vel eorum, apud quos habetur oratio non habita ratione, ſuauiora complectatur quàm deceat, ut ſi quis in media concione de inferendo bello, aut ſanciendis fœderibus, aut de religione, ac diuinis ſupplicationibus, ad fontium gelidas perennitates, aut riparum veſtitus viridiſſimos delabatur. Vna autem, vel altera huiuſmodi ſententia, & ſi non laudanda, excuſanda ſaltem, uel ferenda uidetur; ſi pluribus agatur, vitio uertitur, quare magis eſt vitium Compoſitionis Sententiarũ, quàm ſimplicium: nam quę propter aliarum ſocietatem Molles habetur, ex ſe Suauis Sententia eſt. De his fortè ſecus iudicent Sapientes, quibus linquenda ſunt libera iudicia.

De Grauitate Sententiarum.
Cap. X.

GRAVES *autem Sententias eſſe ducimus, quę de rebus magnis, atque admirabilibus ſunt, & à vulgi opinione, vſuque abhorrentibus. Rerum autem duo genera videntur Neceſſariarũ, ſiue Naturaliũ vnum*

Agi-

Agibilium alterum: Igitur rerum necessariarium Nobilissimus est, ac Maximus Deus, & mensura nobilitatis, magnitudinisq; cęterarum; nam quę illi propinquiores existunt, & quę suę perfectionis angustia, immensitatem illius magis imitantur nobiliores sunt, ignobiliores verò quę magis ab ea recedunt: quapropter supernę, ac beatę mentes, quę sempiterno ęuo fruuntur, nullis obnoxię corporibus: mortalium hominum immortales Animę, orbiumq; cœlestium irrequieta corpora, & sempiterna; nobilissima habentur. In Agibilibus vero Religio, Principatus, Ciuitatumq; moderatio tempore pacis, ac belli. Quoniam uerò dictum est Sententias esse complexiones subiecti, ac prędicati, grauitatem in vtroque esse oportet, ita ut ea etiam quę prędicantur magna sint: quod si noua quoque fuerint eo erunt aptiora, nam cognitis, maiora uidentur, & cient faciliùs admirationem. Hæ igitur per se graues sententię. Per accidens verò, si Grauiter enuncientur, idest quemadmodum uiri Graues consueuere asseueranter, & confidentia quadam minimè temeraria;

hu-

huiusmodi enim sententiæ fidem acquirunt à more dicentis qui in sententijs elucet; nam qui fidentèr loquitur fortem animum, sapientemq; ostendit, huiusmodi sunt quæ vocant Axiomata, & propositiones quædam vniuersales, & de re aliqua sine vlla dubitatione affirmationes, vel negationes, huius generis apud Senecam Oratorem tanta copia est, vt ijs non tàm grauis, quàm molestus euadat auribus eruditis.
,, *Necessarium est paruo assue-*
,, *scere. Quicquid vult habere, nemo potest;*
,, *illud potest, nolle quod nō habet; Magna pars*
,, *libertatis est benè moratus venter, & contu-*
,, *meliæ patiens: Breuitas quoque sententijs videtur tribuere Grauitatē, vel quod viri Graues parcè, ac breuitèr loquantur, vel quod Graues sententias breues esse necesse est, magna enim, de magnis pauca dici possunt, & proprijs vocibus nobiliùs, & grauiùs explicantur, cum aliorum nomina sint minus digna; Igitur cum breues sint per se Graues quæ de ignobilioribus rebus habētur si breuitatem induant, tanquàm accidente quodam Similes, Graues videntur: ob eam rem qui Grauitatem*

tatem in rebus etiam leuioribus consectantur, cum aliud nequeant, breuitate nituntur: Quoniam verò quæ minus intelliguntur rectè iudicari non possunt, accidit autem vt maiora semper existimentur, propterea quæ obscura sunt, tanquàm vulgarem captum effugientia, vel excedentia, Grauiora videntur, ob eamque causam multos reperiemus ambitiosè obscuritatē sectari, quod non abesse arbitror à Tacito, multo autem minus à Plinio Seniore, nec fortè à Seneca Morali, quibus etiam ob eandem rem breuitas gratissima est, non enim aßequi potuerunt si de tantis uiris licet liberè sentire; diuinorum, atque incomparabilium virorum Ciceronis, ac Cæsaris cum laudabili Perspicuitate Grauitatem admirabilem. Verùm postquàm de Grauitate dictum est, de Tumiditate dicamus, in quod vitium facilis est lapsus à Grauitate. Ne igitur diù moremur in vocis ambiguitate declaranda, quòd pertinet ad sententias, Tumidæ illæ sunt, quæ falsò Grauitatem imitantur; manifestum est enim quicunque Tumidè loquuntur eos ambire Grauitatem; quemadmo-

admodum inter homines eos Tumidos appellamus, qui cum verè Graues non sint, incessu graui, & tardo quodam corporis motu, ac denique oratione Grauium mores effingere, ac præseferre conantur: quapropter ea sententia Tumida dicitur, quæ Gtauitatis naturam, atque essentiam minimè habet, de rebus enim Grauibus non est, habet tamen aliquod veræ Grauis; accidens; vel breuitatem scilicet vel non vulgarem intelligentiam, propterea natura Grauium destitutæ, accidentia illarum quasi personas induunt quibus fallant auditores. Verùm hæc non periende accipienda sunt ac si dicamus, quæ de humilibus rebus sententiæ sint, eas omnes si breues, aut obscuræ fuerint Tumidas esse, in Physicis enim, & Mathematicis, ac omnibus disciplinis, multa sunt intellectu difficilia, quarum sententias appellare Tumidas nullus audeat. Quapropter sicuti non eum Tumidum appellamus qui huiusmodi Naturæ mores habeat, quos diximus Tumidos imitari; est enim Tumiditas ab electione, ac propterea vitium, nam cum quis verè Grauis non sit, eligit nullo cogente Gra-

uis

uis per effictionem videri, idem vt reor de sententijs dicendum est; Nam in suis proprijs Artibus, ac scientijs si sint difficiles, ac per obscura, & tamen adhibeantur, haud vitio vertendum; nam & sua natura difficiles sunt & illarum Artium propria quibus necessariò inseruntur, si autem sponte, nullaque vrgente necessitate ad Ciuilem orationem, quæ omnium intelligentię accommodanda est, ob eam rem transferantur, vt obscura cum sint magna de magnis dici, & Grauis oratio videatur, Grauitas in Tumorem excrescit. Quæ proiectę ambitionis ostentatio tantùm facit ad Tumiditatem, vt per se Graues, & per essentiam sententiæ in Tumidas euadant, si per Ambitionem alienis locis inserantur. Rerum enim Theologicarum Grauissimæ sententiæ sunt, pręsertim quæ de Deo, ac de supernis mentibus; has tamen si quis ad gignendam admirationē Ciuili orationi admisceat, Grauissimas natura sua sententias, imprudenti vsu, Tumidas efficiet. Lucretius igitur qui de rerum Natura carmina pangit, & si perobscuras assert sententias, quas eruit ex intimis

mis

mis philosophiæ penetralibus; Immitabilis quoque Poeta in Georgicis, vbi multa, uel philosophica, uel Astrologica miscet, crimen Tumiditatis effugiunt. Lucanus vero Tumidissimus est cuius simillimi sunt omnes ferè nostræ ætatis Poetæ, atque Oratores, qui arcana omnia philosophiæ in orationes suas, atque poemata, nisi effunderint nihil sibi laude dignũ effecisse videntur. Hæc ab ijs minimè dissentiunt quæ paulò antè de Tumido diximus, nam per falsam imitationem Grauis, Tumidus est; propterea cum Grauis magna de magnis loquatur suo loco, ac tempore, Tumidus quoque magna conatur, verum nec temporis, nec loci, nec personarum, nec rerum habita ratione, cum & alieno loco, et de paruis etiam maiora dicat, quàm oportet, vt hyperbolæ sunt. Est itaque Tumiditas falsa, Grauitas vel effictа species Grauitatis; voco autem speciem non partem generis, sed expressionem, atque imaginem, similitudinemuè; fit autem in sententijs ab imprudenti vsu illarum ad imitandam Grauitatem. Verum non ab re fuerit de sententiarum Acumine nonnulla dicere

dicere, cum habere videatur, ratione quam dicam, cum Grauitate quandam Affinitatem. Acutum est itaque quod facilè solida, & dura scindit, ac penetrat, propterea obtusa acuuntur, vt faciliùs scindant, & cum hoc faciunt Acuta dicuntur. Horum similitudine dicitur Acutus visus, cum acies ita medium perrumpit, ac diuidit, vt ad obiectũ visile, quod non omnium oculis est accessibile, facilè peruadat. Eadem ratione intellectus qui rerum in obscuro latentium, & quæ non obuia sunt omnibus cognitionem assequitur Acutus dicitur, quod quasi disrumpat difficultatem quæ ita impedit intellectus actionem in rebus cognoscendis, vt in scindendis, perforandisuè corporibus facit Acumini, vel Acici, solidorum durities: sententiæ verò quas sibi format Acutus intellectus non vulgari intelligentia Acutæ dicuntur. Huius

„ *generis sunt illæ Senecæ Oratoris. Quemad-*
„ *modum Annibal superauerit Alpes scribunt,*
„ *ac quemadmodum non desierit senex omni-*
„ *bus angulis bellum quærere, sequitur Acu-*
„ *men in sententia, adeo sine patria esse pote-*
rat,

rat, sine hoste non poterat; & illa in Epistolis
,, *de Vitijs mulierum suæ tempestatis. Benefi-*
,, *cium sexus sui vitijs perdiderunt, & quia* "
,, *fœminam exuerunt damnatæ sunt morbis ui-* "
rilibus; nam Hippocrates dixerat mulieres, "
neque podagra laborare, neque capillorum oc-
casu. Et illa de Clodio absolutus in iudicio ob
,, *adulteria communicata Iudicibus; credat hoc*
,, *aliqnis? qui damnabatur vno adulterio abso-*
,, *lutus est multis. Nec illa obtusa; Cogita quan-*
,, *tum nobis exempla bona prosint; scies magno-*
,, *rum virorum non minus præsentia esse vti-*
,, *lem memoriam. Illa Plinij senioris ad Titum*
,, *acuta est; Hanc tibi imputabis, & in nostra*
,, *culpa tibi ignoscens: nec minus illa Princi-*
,, *pium iure tribuetur homini, cuius causa uide-*
,, *tur cuncta alia genuisse Natura, Sequitur*
,, *Acutum, magna, & sæua mercede contra tan-*
,, *ta sua munera, vt non sit satis existimare pa-*
,, *rens melior homini, an tristor nouerca fuerit:*
,, *Illa denique: Hoc argumentum opum; hæc*
,, *vera luxuriæ gloria existimata est, habere*
,, *quod posset statim perire; de Murrinis, &*
Crystallis loquitur. Si quis autem & hos, &

Tacitum, & eius ætatis Poetas legat infinitas huiusmodi reperiet; Illa etiam Liuij Acuta ,, est in operis præfatione: Donec ad hæc tem- ,, pora, quibus nec vitia nostra, nec remedia ,, pati possumus peruentum est. Hæ itaque sententiæ graues fortasse videantur, cum & nouæ sint, & non vulgares, quod tamen minimè verum est: nam Grauium Sententiarum essentia in eo constituta est, vt magna, ac nobilia de magnis nobilibusq; complectatur, quod autem vel nouæ sint, vel extra communẽ sensum posita, & quæ non facilè in mentem cadant, accidentia sunt Grauitatis; propterea quod magna non facilè, ac vulgo intelliguntur; accidit autem hoc rebus magnis, & Grauibus, non quatenus magna, & Grauia, sed quatenus inuoluta difficultate, obscuritateq; huiusmodi autem non magna tantùm, sed parua interdum sunt; quis enim non videat in humilibus, contemnendisq; rebus com plura esse quæ vulgarem captum effugiant? propterea & cum Grauitate, & absque ea esse potest Acumen sententiarum; nam si magna dicantur de magnis, & quæ intellectu

diffi-

difficilia sint, vtrumq; inest, Grauitas tamen, quatenus magna sunt quę significantur; Acumen verò qua seiuncta sunt à communi intelligentia, vel usu, vsu inquam, nam Acuta est non modo quæ difficilis est intellectu, sed etiam quæ & si facilè intelligitur postquàm inuenta est, & enunciata, non facilè tamen in eam Animus incidit ad illam reperiendam, quemadmodum de ijs dicere possumus, quas ex Plinio, & Seneca superius attulemus, facilis enim est eorum intelligentia, hæ tamen sunt quas non facilè quiuis reperijsset. Harum igitur quæ obscuræ sunt in oratione populari qualis est Historicorum, Poetarum, Oratorumq; locutio Tumorem faciunt rationibus prædictis; quæ uero faciles sunt propter nouitatem speciem quandam Grauitatis induere videntur, quod si de humilibus sint uitio materiæ in humilitatem incidunt; Acumen autem ex se, & quatenus ipsum, Grauitatem potius efficit, quàm humilitatem, nouitas enim, difficultasq; siue intelligentiæ, siue inuentionis accidentia sunt magis propria Grauitatis quã humilitatis, propterea quæ

F 2 *ducti*

ducti ratione Antiqui Rhetores infimo dicendi generi subtilitatem, siue Acumen attribuerint, non video; nisi fortè accuratus, ac diligens nimis in illis reperiendis, atque orationi inserendis labor intempestiuam, ac puerilem ambitionem detegat: Hoc autem Tumiditati quoque tribuendum est, nam Tumidi quoque ambitione laborant, cum ad effingendam, exprimendamq́; in oratione grauitatem, Tumiditatem adhibeant; dicere autē Tumiditate fieri humilem orationē contra omniū opinionem videtur; quapropter neque Acumen ob eam rem ad humilitatem pertinere dicendum est: quod quisque facilè intelliget si ad illos respexerit qui eo vtuntur, hi enim sunt quos Grauitatem, uel Tumorem consectari cæteris locutionis partibus manifestè apparet, quemadmodum dictum est, de Seneca, Tacito, Plinio, & nostræ ętatis Oratoribus, Poetisq́;: propterea cum omnibus ijs proprium sit Acumen quibus Tumor tàm carus est, vt omittam Lucanum, Statiumq́;, & Senecam Tragicum, facilè possumus existimare hos Grauitatis specie deceptos, liben-

tèr,

ter asciuisse sibi Acutarum sententiarũ vsum; & cum hi Tumidi verius quam humiles habeantur; meliùs & nos Tumiditati affine facimus Acumen, quàm humilitati; quicquid alij existimauerint; decet enim Sapientiæ Amatores rationibus duci non auctoritate commoueri; illa enim scientia est, hæc persuasio, cui sæpè admista est suspicio falsitatis.

De Vsu Sententiarum. Cap. XI.

QVICVNQVE loquuntur sententijs vtantur necesse est; verùm quia non omnes ornatè loquuntur, si fortè vitio sententiarũ id accidat, qua ratione sit ei obuiam eundum hic ostendere oportet. Quod igitur ad sententias pertinet, tunc ornata erit oratio, cum ornatæ sententiæ adhibebuntur, ornatæ autem sunt quales iam diximus: quæ si obuiæ omnibus facilè essent, ornatè omnes loquerentur, & in his Artem Elocutionis laborare minimè oporteret: Verùm quia videmus alios ornatè, alios inornatè loquentes, &

qui ornatè loquuntur alios quidem Perspicuè tantùm, alios etiam Grauiter, & Suauiter; si ab ipsis tantummodo rebus, de quibus sermo est Sententiæ extarent, omnes ijsdẽ vti oporteret, nullumq́; eßet inter loquentes discrimen; at proponatur cuiuis ex mortalibus Agrorum cultus, facilè intelligetur quæ sit inter Maronem Diuinissimum, & cæteros differentia, & tamen manifestum est paruas res, atque humiles natura sua sententias minimè Graues constituere; & minùs delectabiles, haud poße Suaues; & difficiles intellectu, ac perobscuras facere nõ poße Perspicuas; quæ ab eo dissentire videntur quod Antiqui Rhetores tradidere, munus esse eloquentis posse humilia efferre grandiloquentia, et magna verbis, atque oratione extenuare. Vt igitur ornatè loquamur Perspicuas sententias de rebus obscuris dicere oportet, Suaues autem de iniucundis, & Graues de humilibus, & ille verè ornatè loquendi Artem habet, qui omnibus de rebus ornatè eo genere ornamentorum quod ipsi libuerit dicere poterit. Hæc si vera sint idem accidere in sententijs dicen-

dum

dum est, quod in verbis ſimplicibus; nam ſi ſit humile aliquid, aut turpè ſignificandum, ſi id ornatè, atque honeſtè velimus, non proprio vtimur nomine, ſed aliunde transferimus: eadem itaque ratione, ſi aliqua ignobili, ac minùs ornata ſententia vtendum eſſe videatur eius loco ſumenda eſt alia, quæ idem ſignificet ornatius, atque decentius: Id autem non modo admittendum est, verùm ad ornatam orationem tantùm ponderis habet, vt vel hoc maximum ſit in Elocutione principiũ & fundamentum: Quapropter quacunque de re ſint nobis verba facienda, enixè videndum est, quod genus ornamenti adhibere velimus, nam & ſi res ipſa ex ſe ornatas ſententias minimè ſuppetit, aliunde & Perſpicuæ, & Graues, & Suaues accipi poterunt. Verùm hic haud leuis multumq; neceſſaria ſuboritur dubitatio, ea eſt huiuſmodi. Quoties humilis, ſubobſcura, inſuauisuè, ac moleſta res elocutione veſtienda, atque ornanda est, cum hoc ſua natura proprias ſententias inornatas faciat, ſi longa futura eſt oratio, num ſemper aliunde adectis ſententijs vtendum est, an

propriæ quoque ſunt admiſcendæ? hoc enim haud parum habet ambiguitatis; nam ſi proprias admiſceamus ornatarum lumen hebetabimus; ſin alienas omnes adhibeamus in Allegoriam incidemus, hæc enim oratio eſt de re Aliqua ſub nomine alieno, quemadmodum feciſſe videmus Diuinum Poetam, qui ſub roſæ nomine fugacem humanæ vitæ breuitatem cecinit, & alium Poetam, qui ſub nomine Nauis mortalis vitæ diſcrimina ob oculos poſuit. Hæc igitur declaranda ſunt. Primùm itaque Georgicorum libri apertè ſatis oſtendunt poſſe haberi orationem tenuibus de rebus ornatiſſimam absque Allegoria, ita ut propriarum ſententiarum admiſtio non officiat venuſtati, atque elegantiæ; non enim omnes ſententiæ, quæ de re humili (vt de his potiſſimùm loquamur) haberi poſſunt, adeo ſunt pœnitendæ, vt nulla prorſus earum ſit adſcribenda in ſocietatem alienarum; nam & ſi ipſæ per ſe minus ornatæ videntur, ornatarum compoſitione quaſi quodam contubernio ornatum adipiſcuntur; non ſecus, ac in ſertis ignobiliſſimi quoq; flores complexio-

ne

ne pulchriorum haud minimum, & ipsi conferant ad coronæ pulchritudinem. Quod si tanta fuerit rerum turptiudo, ac fæditas, de quibus loquendum est, vt ne vna quidem sit propria adsciscenda sententia, confugiendum est ad præsidium Allegoriæ; de qua quoniam in eum sermonem incidimus, non ab re fuerit aliqua dicere. Hanc itaque diximus esse de re aliqua sub alteriùs nomine orationem. Videtur autem quærenda causa cur instituta sit, & vsu plurimorum comprobata. Loquimur omnes, vt aliquid significemus; nulla autem res est quæ absque Allegoria significari non possit; quod si per Allegoriam significetur obscuriùs, & ob eam rem adhibeatur; ad Elocutionem nihil pertinet, neque ad eius Artem à qua ob id tanquàm ornamento Perspicuitatis opposita reÿcietur: potest tamen aliquas ob causas esse necessarium, vel vtile obscuriorem de re aliqua efficere orationem; vt uidere est in his libris quorum auctoritas apud nos sacra habetur, atque intemerata. Verùm quia Elocutionis Artem scribimus, de ea nobis videtur agendum quatenus

tenus afferre poteſt ornamentum orationi. Quemadmodum itaque dictum eſt, ſi ſententia inornata incidat, alia eſſe vtendum quæ idem ſignificet; ita ſi res tota perobſcura vel humilis, vel inſuauis, aut fœda ſit de qua habere orationem oporteat, ſimilis aſſumenda eſt: quæ ſit illius ornamenti capax quod ipſi cupimus, ac de ea ita loquendum, vt quæcunque dicuntur ijs reſpondere, & eſſe conſona videantur quæ dicenda eſſent de re, ſi absque Allegoria venirent in Sermonem: ob id tantum videtur ornamento deſeruire, nā ſi absq; ea fieri poſſit, multò meliùs eſt translatis verbis, ac ſententijs vti, proprijs permiſtis; magis enim ea delectant: tùm quia ſemper habet aliquid obſcuritatis Allegoria (non enim omnia quæ de re aliqua dicuntur facilè poſſunt accommodari ad ea quæ dicenda eſſent absque Allegoria; & non mediocris labor eſt intellectus ſimilia omnia conferre, atque in ea ſemper collatione defatigari) tum quia niſi ad ſimilia recurrat animus, ſed in oratione tanquàm propria conquieſcat, vt ſi quis de roſa ea accipiat quæ à Virgilio dicuntur;

pul-

pulchrum illud quod in translatis & verbis, & sententijs inest, non elucet; quod si propriæ admisceantur sententiæ, admonetur animus in alienis non esse conquiescendum, propterea ad similitudinem, affinitatemq; se vertit, quàm facilè intelligit, si fuerint rectè translatæ. Hic igitur est vsus sententiarum, ad ornatè enim loquendum, ornatis vti oportet; quod si res ex se ornatas non sufficiat, confugiendum est ad alienas. Verùm quæ ornatæ sint superiùs dictum est, non tamen quælibet ad quodlibet significandum traducendæ sunt, cum à quolibet quodlibet significari non possit: sed cum definita sit sententiarum significatio, definitus quoque numerus eorũ est ad quæ transferri possunt: quapropter opus est animaduertere quas sententias ita commutare valeamus, vt aliam pro alia sumere absurdum non videatur. Manifestum est autem fieri tantùm posse hanc mutuam commutationem inter eas quæ rem eandem significare aptæ sunt; nam si idem significare aliqua ratione non queant, frustra illas adhibebimus, idem autem si aliquo modo signifi-

care

care debeant, quemadmodum in verbis proprijs, ac metaphoricis videmus, aliquam esse inter illa Affinitatem necesse est, cum enim significatio sit Notionum essentia, quæ idem significant aliquo modo, aliqua ratione eandem habere communem essentiam oportet hoc autem voco habere Affinitatem: quam si quis omnibus in sententijs poterit agnoscere, de re omni, quãtũ spectat ad hanc partem, ornatissimè loquetur: nam re proposita, quas elicere de ea possit sententias statim intelliget easq́; adhibebit ornatæ si sint; sin minus Affines omnes latè circumspiciet, quæ cum innumeræ existant in re qualibet, facilè erit ex ijs ornatam conflare orationem quo potissimùm libuerit ornamentorum genere: quapropter in eo est labor omnis impendendus, vt quę sit Affinitas sententiarum cognoscatur.

Diuisio Affinitatum Sententiarum. Cap. XII.

QVONIAM diximus ſententias eſſe Notiones complexas, has verò in Anima rerum imagines, manifeſtum eſt eas eſſe Affines, quæ rerum Affinium ſunt; ita verò ſe habere eas oportet, vt altera earum acceptâ, altera ſubire poſſit intellectionem, nam quælibet ſententia de re aliqua eſt, ſi igitur in ea ſiſtat intelligentia non illam tanquàm alienam accipiet, ſed tanquàm propriam; quapropter alienis ita vti oportet, vt propriarum facilè cieatur intelligentia: hæc paulò pòſt clariùs explicabuntur. Nunc autem quoniam ſententiarum Affinitas à rerum Affinitate ducitur eam in rebus videre prius oportet. Sic igitur dicamus: Cum ſententia ſit complexio ſubiecti, & prædicati, ſiue affirmet, ſiue neget, ſiue neutrum explicite, ſit autem hæc vel coniunctio, vel diſiunctio rei alicuius cum alia: videndum eſt diligentèr quæ ve coniunctiones rerum, vel diſiunctiones eam ha-

habeant inter se habitudinem, vt altera earum intellecta, sit necesse vel saltem facilè aliam intelligere: dico autem intelligere, non naturam, essentiamuè cognoscere quod definitione fit, sed quod vna earum posita, atque inuecta in rerum censum alia quoque adesse intelligatur, vt si quis ortum esse solem dicat, statim quoque dies esse intelligitur: Habitudo itaque inter ea quæ sunt, uel est essentialis, ac necessaria, vel Accidentalis, & contingẽs: essentialis inter causas, & effectus, tantummodo est. Hæ res cum habeant inter se necessarium nexum facilè sibi inuicem illarum sententiæ deseruiunt in significatione: ita vt altera alterius locum subeat in oratione, neque causarum tantùm immediatarum; sed remotarum quoq; dummodo ne tanta sit longinquitas, vt per vnius intelligentiam difficillimè alterius cognitio fiat; propterea eo vsque procedendum est in accipiendis causis pro effectibus, vel effectibus pro causis, quo ea pro alijs accipiãtur, à quibus ad ea quæ significanda sunt haud sit difficilis intelligentiæ nostræ motus; cum autem agamus de oratione

ne

ne eam minimè difficilem intellectu existimamus, quæ intelligitur dum enunciatur: neque laborandum est in eius intellectione, vel tanquàm philosophicis contemplationibus insistendum, propterea ab ijs quæ dicuntur ad ea quæ significantur, facilis, ac celerrimus esse debet intelligentiæ motus: non potest autem esse nisi inter proxima, vel inter quæ facilèm facit intelligentiæ motum assiduus loquendi, uel sentiendi vsus: quæcunque enim in sermone, vel semper, uel sæpenumero sibi deseruiunt, & mutuas vices subeunt, facilè intelliguntur alterum pro altero; eadem quoque rutione, ea quæ & si causa, effectusq́, longinquę, & remotæ sunt, sensus tamen simul semper agnoscit, ac sentit, multo ornatiora contingunt, & orationi commodiùs inseruntur quàm effectus, causæq́, immediatæ cognitu difficiles. Harum itaque rerum sententiæ commutari possunt, & ad alienam significationem transferri; vsus tamen illorum non temerè admittendus: non enim quælibet quę de causa dicuntur, effectum significant: nam cum diei sol causa sit, si quis eum terra longe

ma-

maiorem dicat, nullus ob id esse diem intelliget, propterea rectus vsus est, orationiq; accommodatus rebus vti, quæ inter se habent affinitatem: Affinitatem autem sol habet ad diem, dum exoritur, & quâ fundit lucem, lateq; terras illuminat; quapropter si solis ortus describatur, diei quoque ortum intelligemus: & hæc quidem essentialem, ac necessariam habent Affinitatem. Quę uerò Accidentalem; hanc ratione aliqua imitantur, nam quæ rem semper, aut sæpè antecedunt, vel cõsequuntur, vel cum illa sunt, effectus, & causæ quodammodo induere speciem videntur; nam causa Natura saltem effectum præcedit, effectus causam subsequitur, ambo autem tempore simul sunt: Vocantur autem hęc Antecedentia, Consequentia, Comitantia: Verùm quia is qui loquitur, & apud quem sermo est, haud admodum subtilem ineunt distinguendi rationem inter Antecedens siue causa sit, siue non, itemque inter Consequens siue sit effectus, siue non: propterea haud est opus plura diuisionis membra facere, cum possimus causam sub nomine Antecedentis, effectum

sub

ſub nomine Conſequentis, vtrunque autem ſub nomine Comitantis collocare; ſint enim eſſentialitèr eonnexa, an verò accidentalitèr in oratione quatenus ad transferendas ſententias facit, nullus curat, aut animaduertit. Oppoſita quoque vtilem nexum habere videntur ad ſibi mutuam in oratione operam præſtandam; nam & ſi pro varietate ſpecierum diuerſa eſt eorum inferendi ratio, tamen ex vno facilè aliud intelligitur: Quin etiam ſimilia ad hoc eſſe accommedata, ſatis oſtenſum eſt paulò antè, cum de Allegoria locuti ſumus. Quapropter cum qua nexum vel eſſentialem, vel accidentalem habere videntur tot ſint, totidem, ac non plures eſſe Affinitates ſententiarum dicendum eſt; de quibus aliqua dicemus, cum ſit orationi, atque ornamentis perutilis huiuſmodi cognitio.

De Antecedentibus, Conſequentibus, Comitantibus, Oppoſitis, Similibus. Cap. XIII.

Q*VOTIES igitur de re aliqua ſententia incidit, quæ vel inornata videatur, vel non illud ornamenti genus habere, quod res & oratio poſtulat, ad hos locos vertendus eſt illico animus; fieri enim non poteſt qui totum id reperiatur quod quæritur; cum tam multa eaque diuerſa ſint parata ſententijs efficiendis: quod qua ratione fuerit ab egregijs, clariſq; ſcriptoribus vſurpatum exemplis demonſtrandum videtur. Ab antecedentibus itaque illa Diuini Vatis*

Ac veluti immiſsi diuerſis partibus ignes
Arentem in ſiluã, & virgulta ſonantia lauro.

Hoc eſt enim Siluas comburere, combuſtio vero ab igne fit tanquàm efficiente cauſa, quàm dicendi formam non ſemel adhibuit, nam alibi

In ſepem veluti cũ flãma furentibus Auſtris
Incidit.

Et

Et alibi grandioribus verbis

Disperſa immittit ſiluis incendia Paſtor.

Harum ſimiles locutiones innumeras apud eundem Poetam reperies, aliosq; tùm Poetas, tùm Oratores, aut Hiſtoricos; multo etiam plures quæ ab Antecedentibus non eſſentialibus ducuntur. A Conſequentibus verò eſſentialibus illud eiusdem Poetæ noctem appropinquare ſignificans, ſiue aduespeꝛaſcere

Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ

& illa Ouidij partim eſſentialia, partim non

Iã mare litus habet, plenos capit alueus amnes;
Flumina ſubſidunt, colles exire videtur, (dis.
Surgit humus, creſcũt loca decreſcentibus vn-

A Comitantibus verò ſiue eſſentialibus, ſiue non, multæ reperientur ſententiæ apud Virgilium

Spargitur, & tellus lacrimis, ſpargũtur, & arma

Ab oppoſitis priuatiuè, ſiue contrariè.

Nec adhuc mortalibus occubat vmbris.

A relatiuè autem oppoſitis illud in primo AEneidorum.

Et pulchra faciet, te prole parentem.

Similium verò exempla sunt quæcunque per Allegoriam dicuntur, & quæ ducuntur à similibus: Horum igitur omnium multo plura, & aptiora exempla quisque sibi comparabit; nam cum sit notum quod dicimus, in quo nobis enitendum est; in ea facilè quisq. Poetas, vel Oratores legendo incidet. In oppositis autem illud non videtur silentio prætereundum, quædam inferre sui oppositum affirmatione, vt faciunt Relatiua: simul enim sunt, quemadmodum Logici docent; quædam verò inferunt negatione, omnia scilicet præter opposita relatiuè: Sed quòd magis videtur huius Artis proprium, Videre oportet quæ sit horum maius, atque decentius ornamentum; vt cum libera sit electio detur locus pulchrioribus. Itaque sic dicamus. Inter ornamenta pulchrior est, atque nobilior Grauitas, & Suauitas, vltimo autem loco Perspicuitas. Hæc autem non semper ab eodem fiunt, nam Grauitas interdum à causis, vel effectis meliùs, quàm ab accidentalitèr annexis, vel oppositis ducitur, itemque Suauitas, & Perspicuitas. Verùm si rem diligentiùs animaduer-

tamus, aptiora esse ad ornatum non essentialitèr coniuncta reperiemus. Huius autem ea ratio est. quod illa quæ sunt connexa essentialiter in natura communicant, propterea si ignobile sit vnum, alterum quoq; esse ignobile oportet: non igitur ab essentialibus accepta sententia ornatior esse potest, quàm illa pro qua ponitur, vel parum ornatior. Præterea quæ nexum essentialem habent, pauca sunt, ob eamque rem electio ferè necessaria, & quod omnium est maximum obuia sunt, ac propterea sæpius vsurpata, quæ de oppositis quoque dicenda videntur. Antecedentia verò, Consequentia, & comitantia accidentalitèr, ea ratione quàm paulò antè diximus multa, ac ferè infinita videntur: propterea varium ornatum efficiunt, & ad omne genus facilè deduci possunt, & cum sint multò magis quàm essentialia diuisa à re, atque disiuncta, non omnibus perspecta sunt: quapropter ab ijs potissimùm Elocutionis nouitas oritur; & cum nullis ferè finibus coerceantur multo labore, ac versatili ad ea reperienda ingenio opus est. Cum igitur connexa per accidens,

 & quo-

& quorum contingens est Affinitas, maiorem ornamentorum numerum præstent, & maiore difficultate comparentur, & magis noua sint, & decentius ornent, manifestum est ea esse cæteris commendabiliora. Quoniam verò hucusq; de vsu sententiarum dictum est, habet autem is veteris illius Græci prouerbij causam. Talis hominibus oratio, qualis uita: non absurdum videtur rationem huius rei perscrutari, vt cur id accidat cognoscere possimus; licet hoc magis fortasse pertineat ad Artem Rhetoricam, nam prodest hoc plurimum ad effingendos, exprimendosq; mores, vt Oratori videbitur expedire causæ: tamen cum ea quæ diximus de affinitatibus, magnā huic rei afferant lucem, pauca dicentur, fortasse non omnino alieno loco. Itaque de ijs libenter loquimur, quibus delectamur, quæ autem delectant sæpius repetuntur, & sensibus, facultatibusq; admouentur, quarum obiecta sunt; ex eo vero habitus, & mos existit, propterea si de re aliqua sermonem habere optio detur, de his quisque libentiùs loquitur, quorum habitum contraxerit, quam de alijs: quæ

enim

enim alia de causa putemus Amantes de suis Amoribus loqui tàm sæpè, de lucro Mercatores, de bello, ac rebus militaribus Imperatores? omnino enim quę dum excipiuntur grata sunt; voluptate afficiunt etiam recordatione; quare non mirum si mos eluceat in ea oratione, quæ spontè habeatur, quod si de re aliqua loquendum sit, & vtatur qui loquitur proprijs, & è re natis sententijs, haud facilè morem patefaciet, & in eo falsum est talem esse hominibus orationem, qualem vitam; verùm si ornatè loqui, & alienis vti sententijs voluerit, facilis est aditus ad moris cognitionem; multo autem facilior si Affinitatibus per Accidens, & præcipuè Antecedentibus, Consequentibus, & Comitantibus vtatur: cuius ratio est, quia ita vnusquisque sentit, vt affectus est, & natura, atque consuetudine dispositus, & ad similia eorum, quorum habitum contraxit facilè animum vertit: ac propterea ab ijs sententias transfert, quod etiam de verborum translationibus intelligitur; aliunde enim transferri sententia non potest, nisi concipiatur animo, illam verò

concipere nullus potest, qui se minimè vertat ad illud à quo sumit: Animus autem ad ea facilè conuertitur, quibus delectatur. Quapropter militaris vir à rebus militaribus suas ducit sententias, mollis autem, & eneruatus à suauibus, atque iucundis: elatus inflatis, ac turgidis vtitur. Quod ita verum est, vt non modo vnumquemque propria loquendi ratio, & forma sequatur, sed populis non lingua tantùm, sed loquendi genus proprium sit, quemadmodum proprij sunt mores. Verùm hæc fortasse altiorem postulant contemplationem.

De Compositione Sententiarum. Cap. XIIII.

CVM de Sententiarum ornamentis ea dicta sint, quæ necessaria videbantur, reliquum est de illarum Compositione, siue structura instituere tractationem; cum plurimum conferat ad orationis ornamentum; quę qualesuè sententiæ connectantur, & qua ratione iuxta se inuicem collocentur. In hac

itaque

itaque siue Compositione, siue structura, & Perspicuitas, & Suauitas, & Grauitas quærenda videtur quemadmodum in sententijs, nam vt fortasse haud est arduum vnam sententiam, quàm ornatissimam dicere, ita ad vniuersam, integramq; orationem, quæ multis debeat conflari, parum id facit, nisi ad eas connectendas, colligandasq; & ad vnum quasi corpus constituendum, efformandumq; certa ratio adhibeatur: propterea miror hanc partem ab ijs qui de Elocutione scripserunt esse prætermissam, cum tanta sit eius vtilitas ad orationis elegantiam. De ea igitur nobis agendum, in qua cum nullum preeuntem ducem habeamus, cuius insistamus vestigijs, rei Naturam, vt hactenus fecimus, ducem sequemur.

De Perspicuitate Compositionis Sententiarum. Cap. XV.

QVAERENDVM est quæ sint componendæ sententiæ, vt locutio tota, hoc est vniuersum id quod ex illis conflatur Perspicuum

ſpicuum euadat : non eſt autem ſermo de ſingulis ſententijs, ſiue notionibus, de quibus iam diximus, verum de coniunctione, & Compoſitione earum, quàm & ſi plurimum iuuat ſingularum Perſpicuitas illud tamen accidere poſſe manifeſtum eſt, vt ſingulæ Perſpicuæ ſint, quæ cum nullum habeant commune, ac naturale vinculum, nullam omnino faciant in ſermone Perſpicuitatem : Id facilè quiſquis intelliget, ſi Perſpicuas quidem, nulla tamen ratione iunctas componat ſententias: is enim abſque dubio integram orationem inintelligibilem , immo nullius ſignificationis faciet; quemadmodū inintelligibilem ſententiam, ſi diſiuncta verba componat : nam & ſi partes intelliguntur, ſingulæ ſcilicet notiones per ſe, eo quod certi aliquid ſignificent, vniuerſa tamen, atque integra oratio nihil omnino ſignificat. Quapropter, vt locutio, multis conſtans ſententijs intelligibilis ſit, neceſſe eſt eas complecti ſententias, quæ inter ſe aliquam habeant habitudinem, atque ordinem, ita vt alia ad aliam, & ſi non omnes, maior tamen pars referatur, & copuletur,

ſimulq;

ſimulq́; integram aliquam ſignificationem expleant. Nam quemadmodum ſi rerum ſimplices tantùm notiones apprehenderemus, ſimplicibus verbis vteremur, ſententijs omiſſis; adhibemus autem ſententias, quia complexum eſt interdum quod concipimus: ita ſi vnica complexa notione nobis ipſis, & ei quod concipimus de rebus ſatisfacere poſſemus, fruſtra pluribus vteremur; verùm quoniam accidit vnica non poſſe, pluribus conamur: propterea, niſi ordinem aliquem inter ſe, & nexum ſententiæ habeant, id ad quod multiplicatæ ſunt minimè efficient, non ſecus, ac multa verba diſiuncta fruſtra enunciantur ad ſententiam ſignificandam: Cum autem ſit neceſſe ſententias aliquam habere colligationẽ, eam haud arbitrandum eſt in eo eſſe conſtitutam, vt ſimul, vel ſcribantur, vel enuncientur, nam id eſt eſſe ſimul tẽpore, vel loco, ſed aliud vnio ſententiarum poſtulat ſubiecti ſcilicet, & rei de qua ſunt, uel ſaltem finis vnitatem hoc eſt vt vel vnum ſit id de quo dicuntur, vel unum id cuius gratia, neque id ſatis eſt, niſi quidam ſit ordo, & relatio inter

ſen-

ſententias, quæ iuuentur ad ſignificationem, quę relatio quo maior eſt, ac magis neceſſaria, eo facit orationem magis Perſpicuam; dummodo ne nimis multæ neceſſariam hanc habeãt complexionem; tunc enim ad integrum ſenſum aſſequendum neceſſe eſt omnes ſententias, & quaſi vnico intuitu percipere: quapropter animus obruitur copia, & eas non poteſt intelligentia capere, vel memoria complecti. Voco autem neceſſariam ſententiarum connexionem illam, quàm alij dicunt Periodum, de qua videntur aliqua eſſe dicenda.

De Periodo. Cap. XVI.

C*VM de re aliqua ſermo habetur, multis id ſententijs fit, nam multa apprehendimus, quæ vnico verbo ſignificare non poſſumus; vt autem integra ſententia non eſt vnum uerbum, ſed multa, ſaltem duo diſtincta; eadem ratione longa oratio non vna ſententia conſtat, ſed multis, quæ ſuam habent diſtinctionem: quod ſi tantam habeant, vt qualibet per ſe intelligi poſſit, & videatur integer,*

teger, atque absolutus significari Animi conceptus: huiusmodi sententia Periodus appellatur: est enim veluti circuitus, motusq́; suum habens principium, ac finem cum sit perfecta sententia, quod si mutuo ad intelligentiam egeant auxilio, non ipsæ sunt Periodus, sed quod ex illis fit: non modo enim verbum vnũ potest esse prædicatum, vel subiectum, sed etiã sententia, & illa demum verè est Periodus, quæ pluribus constat sententijs, quæ ita se habeant vt subiectum, & prædicatum; nam alia ratione non potest totum quoddam essentialiter vnum constitui, quale esse debet Periodus: nam cum sententiæ omnes in oratione quæ de re aliqua habetur, non omnino disiunctæ esse debeant, manifestum est nexum earum non oportere esse, imo esse non posse Periodum, ita vt tota, quàmuis longa oratio vnica sit Periodus; propterea Periodus maiore eget colligatione partium, quàm vniuersa oratio; hæc autem est essentialis nexus, & structura partium, essentialis verò non est, nisi inter quæ adeo mutuum ad intelligibilitatem est auxilium, vt unum sine alio intelligi minimè possit,

ſit, huiuſmodi autem in ÿs tantum reperitur, quæ ſubiecti, & prædicati rationem habent: propterea Periodi partes quæ ſententiæ ſunt, relationem inter ſe habere oportet ſubiecti, & prædicati, hoc enim pacto ab earum ſtructura fiet totum quoddam adeo unum, ut iure Periodus poſſit appellari: & hæc quidem ſtructura ſententiarum, propriè Periodus eſt, nam unica ſententia, & ſi nonnullis aliter placet, ęgrè videtur appellanda Periodus, niſi multiplex habeat ſubiectum uel prędicatum, uel utrunq; hoc enim nomine ſignificari videtur longior quidam tractus orationis, vnum quid ſignificans, ac propterea ſententiam ſimplici ſubiecto, prædicatoq́; conſtantem non facilè quis Periodum vocabit, adeo enim breuis eſt orationis ductus, vt rectus magis videatur motus, quàm circuitus quidam: quapropter Periodus, neceſſaria eſt, atque eſſentialis plurium ſententiarum, uel plurium ſubiectorum prædicatorumuè, aut ſubiecti, prædicatiq́; apendicum ſtructura, tunc enim Periodus eſt cum oratio non ſtatim abſoluitur, ſed antequā notionem vnam ſignificet lōgiori tractu quaſi cir-

circunducitur. Quòd itaque attinet ad illas Periodos quæ pluribus sententijs fiunt, si futuræ sunt Perspicuæ, haud multis constare debent, obruitur enim animus, vt dictum est, & memoria defatigatur; duæ, tresuè, aut quatuor ad summum satis esse videntur; si plures addantur intelligentiæ labor adiungitur. Nec tamen eorum est laudanda ratio qui, vt Periodorum deuitent obscuritatem, vel aliam ob causam: illis nequaquam vtuntur, sed disiunctis, ac breuibus sententijs qualis est Senecæ scribendi forma: raræ enim in illo Periodi sententijs vrget breuibus, ac diuulsis. Voluptas ab omni parte quæritur: Nullum intra se manet vitium: In auaritiam præceps luxuria est: Honestatis obliuio inuasit: Nihil turpe est, cuius placet precium. Hæ igitur ita dissitæ, ac dissolutæ sententiæ longè maiore animum difficultate implicant, quam longæ Periodi, nam ut hæ longitudine obscuritatem pariunt, ita illæ multiplicitate negotium memoriæ facessunt; ita ut absoluta, ac peracta oratione omnes quidem fortè intellectæ sententiæ sint, memoria tamen illas retinere mini-

minimè possit, magnamq; dũ excipiuntur molestiam animo indant: propterea melius est Periodis uti, q̃ diuulsis sententijs. Video autem hanc scribẽdi rationem ijs placuisse, qui effingere, atq; imitari Grauitatẽ voluerunt, Nam vt dictũ est, Breuitas est Grauitatis accidens. Verùm quoniã Breuitatis orationis multiplex est, quod multos fugisse arbitror, id paucis declarandum, quod suo loco fiet paulò pòst, cũ de Grauitate Cõpositionis sententiarum dicetur. Nunc aũt dicamus Periodos duabus, aut tribus sententijs debere esse contentas, vt Perspicuæ sint: structura uerò Periodorũ (locutio enim non vna constat Periodo) aliquam colligationem habere debet, ne aliarum quoque orationum partes esse posse uideantur: distinctionem tamen earum apparere oportet, quod fiet si alia subiecta, prædicataque alia complecti videantur: ad Perspicuitatem autem facit plurimum si quod in priori suboscurum est, in sequenti declaretur, præsertim si comparationibus id fiat, de quibus loqueremur, nisi meliùs, & commodiùs in tractationem de similitudine id reijciendũ esse arbitrarer.

De

De Suauitate Compositionis Sententiarum. Cap. XVII.

FACIT autem Suauitatem illa Sententiarum Compositio, quæ Suauium est, atque Iucundarum, nam ut flores per se delectabiles multo euãdunt delectabiliores si cum similibus componantur, ita Suaues sententiæ Suauissimam facient compositionem dummodo nexum aliquem habeant non propinquam tantum positionem in scribendo, vel enunciãdo. Habet autem tantam Compositio prudenter facta vim ad Suauitatem, vt multæ ex se minimè Suaues sententiæ euadant, & ipsæ Suaues Compositione, atque Societate Suauium; accidit autem idem pluribus in rebus, nam & flores, & colores insuaues cæterorum auxilio suaues fiũt; in Harmonia verò etiam dissonum suaue est, vel quod propinquitate Suauium affectionem similem contrahat, vel propter communem, mutuamque habitudinem, vel propter varietatem; mirum enim in modum varietas ipsa delectat, & quoniam

nihil magis est varium, quàm quæ contraria sunt, contrariæ sententiæ iuxta positæ magnam afferunt voluptatem.

De Grauitate Compositionis Sententiarum. Cap. XVIII.

QVONIAM verò Grauia sunt, magna, atque admirabilia, & Graues Sententiæ quę de ijs; magna quidem, & admiranda sunt ea de quibus paulò antè dictum est: sed eadem maiora videntur si causa lateat; nam multa de illis concipit Animus veris fortaße maiora, propterea grauis est ea Sententiarum Compositio, quæ habitudinem essentialem, vt est inter causam, & effectum, nunquam aut raro habet: Hinc fit hanc Compositionem breuem esse; cũ enim raro sit eius quod dicitur ratio reddenda, plurimum de oratione detrahitur; ex quo illud intelligitur, quod etiam superiùs dictum est, Breuitatem esse Grauitatis accidens, & passionem Consequentem, non causam; quod accidens qui Grauitatem imitari conantur, adhibere con-

consueuerunt. Cum autem adeo multiplex sit, vt facilè possit non valde cautos fallere, de ea dicenda mihi nonnulla videntur. Hinc igitur incipiamus. Ea de quibus loquimur, & in censu Naturæ, vel entis sunt, res appellantur; de his verba facere non possumus, nisi prius animo eas complectamur, quæ verò de illis in animo effingimus, atque formamus, Notiones appellantur, & sententiæ si complexæ sint. Sunt igitur quidam qui de rebus pauca concipiant, ac propterea breui vtantur oratione; alij multa concipiunt, verum Notiones siue sententiæ simplices sunt, ac propterea breues; cum verò pluribus vtantur quàm necesse est, haud habenda est eorum oratio breuis. Seneca quidem Orator adeo breuibus vtitur sententijs, vt indignas nomine Periodi eas existimem; & sunt qui ob eam rem eius admirentur breuitatem, mihi autem adeo longus, ac prolißus videtur, vt cuique sano viro caput obtundere credam; & eadem sæpissimè repetit, totque similibus probat si quę dubia videantur, imò etiam plerunque manifesta, vt satietatem prius quàm assensum pariant.

riant. Tibullus quoque & si non eodem crimine, eadem sæpe probandi ratione vtitur: Quapropter nunquam ego Senecam breuem appellabo, sententiarum breuitatis obtentu, quas ita ferè semper dissitas componit, vt admirari libeat, & comprobare iudicium Caligulæ, quem tradunt illi siccę calcis appellationem indidisse. Taciti nomen adeo celebre est, vel ipsa breuitatis commendatione, vt non abesse videatur à temeritate, contrariam de eo ferè sententiam, verum stat suum cuique iudicium, mihi quidem Periodis longior videtur; quàm Seneca; numero autem sententiarum astrictior; non enim de re omnia dicit vel effundit vt Seneca, & inter Poetas Lucanus, & Ouidius, quos ęmulati sunt nostræ ętatis Vates celebriores; verum ipse quoque plura sæpe absque detrimento Perspicuitatis, quæ minimum illi curæ fuit; atque Historicæ vtilitatis, omittere potuisset; quod satis ostendunt ea quæ de aduentu Agrippinæ commemorat, post Germanici obitum, cum ad littora classem appelleret: Orationes crebræ; & quæ de legum institutione dicit; & quæ de tempori-

poribus, ac de Dijs impiè quæritur: Iter Titi ad Templum illud, & quæ in Aegypto vidit: Illa uerò in primo de exercitu Germanico Castra Vari, & mortuorum ossa perlustrante, Hic cecidisse legatos, illic raptas aquilas; & in alio libro; Aderant Valens, & Cæcina monstrabantq; pugnæ locos; hinc erupisse legionum agmen, hinc equites cohortos, inde circunfusas auxiliorum manus, quid aliud sunt, quàm intempestiuæ imitationes Diuini Poetæ, Hic Dolupum manus, Hic sæuus tenebat Achilles? Quibus autem Salustij Breuitas est admirabilis, his modus orationis nullus est cognitus; nam & præfationes longissimè petitas inuehit, & comparationes virorum adhibet minimè necessarias; & certaminum, pugnarumq; descriptiones quibus ad cælum elatum puluerem, protritaq; corpora admiscet; multaque alia quę in Bello Iugurtino sunt; de quibus commodiùs alio opere dicendum, satis eum ostendunt, non multum de breuitate laborasse. Liuius, & Periodis longus, & Sententijs creberrimus est, ita vt ęgrè inter Historicos, Oratores longiorem

inuenias, nec tamen ob id illi suæ desunt laudes quibus meritò commendetur, quod opportuniori loco, ni fallor demonstrabo. Cæsar Periodis interdum longioribus vtitur, Perspicuitati tamen minimè officientibus; sententias verò tantùm necessarias adhibet; propterea prædictis omnibus iure breuior existimandus est, meo quidem iudicio; nec mirum; nam sicut vnus præ cunctis mortalibus agnouit, qua ratione ea essent facienda quæ fecit; ita quomodo essent narranda, & communicanda posteris intellexit. Suetonius Periodis breuis est, nullum autem Sententiarum modum agnoscit. Cicero & longus, & breuis est, ut libet; semper tamen admirabilis, quem eloquentiæ, & latinæ linguæ amatores imitari necesse est. Hæc igitur orationis est Breuitas, quæ Grauitatem sequitur, nam qui magna de magnis dicere vult, pauca necessaria dicit, sunt enim pauca; propterea & breues Periodi sunt, & non multæ; non enim qui Grauiter loquitur eadem sæpius repetit, verum quod est dicendum vnica sententia complectitur, quàm veluti magnam, magnique

pon-

ponderis habituram ictum in animo; iterum non dicit, tum ob id; tum verò quia magna etiam ipsa, crebritate, & frequentia vilescunt; propterea ad seruandam Grauitatem plurimum valet semel Animum aliqua sententia affici, nam si sæpius afficiatur, tanquàm notam sine admiratione suscipit: Quapropter neque sæpius easdem enunciare sententias, neque singularum rationem reddere; nisi fortè nouam, & admiratione dignam ad Grauitatem Compositionis efficiendam oportet.

DE ELOCVTIONE LIBER SECVNDVS.

De Verbis. Cap. I.

SATIS, vt arbitror dictum est de Sententiarum ornamentis, reliquum videtur de verbis dicere: Vtile ac pernecessarium opus, in quo cum multi desudarint, non tamen angustum cæteris exercendi campum reliquere; quapropter in eo est omnis labor impendẽdus, præsertim cum maxima locutionis ornamenta inde petantur. Quod si multa contra veterum opiniones dicentur, non facilè quis temeritati adscribat; nec inanis gloriæ studio ab aliorum placitis me libẽter desciscere existimet; credo enim haud esse ingenui viri, ac bonis Artibus innutriti per aliorum ruinas construere sibi gradus ad immortalitatem; nec tàm angusti animi sum, vt in re tàm tenui laudis immẽsam cupidinem expleri posse

autumem: verum publica vtilitas ad quam omnes in hac societate nisi debent, impulit me ad ea scribenda quæ sentio: Hæc autem accipiat quisque, vt voluerit, nam in Rep. literaria ęquum est esse libera, vt scribentium, ita legentium Iudicia. Quemadmodum itaque de sententijs verba facientes, primum earum simplicium ornamenta complexi sumus, tùm verò compositionis; eadem ratione de Verbis agendum est primo quidem simplicibus, secundo autem loco de Compositione, & structura eorum.

De Perspicuitate Verborum.
Cap. II.

EST igitur Perspicuitas ornatus facilem orationi adiungens intelligibilitatem: quapropter sunt Verba Perspicua quæ facilè intelliguntur, intelliguntur ea quorum significatio cognoscitur; nam in cognitione eius quod significant, vniuersa Verborum intelligentia constituta est. Sic itaque dicamus. Significatio Verborum non est naturalis, sed ad eorum

eorum libitum qui eam instituere; nec prius Verbi nomen iure merentur, quàm intelligantur: nam ut dictum est, Intelligibilitas est Verborum forma. Intelliguntur itaque Verba, quæ ad quid significandum reperta sint constat; constat autem de his, quæ in vsu versantur, & quo magis, eo magis intelliguntur; quare Perspicua Verba sunt, quibus peræque omnes vtuntur, nam simulatq; audita sunt, eorum significatio nota est; vt in aliis quoque signis contingit; classicum enim si quis more solito canat in castris, statim ad arma milites discurrent, notum est enim perpetuò vsu quid illud significet; quod si secus canatur, non facilè milites ad arma, aliudue faciendum exurgent: quapropter Verba omnia exterarum linguarum quæ vsus non recepit, multum de Perspicuitate detrahunt, nec tantum Peregrina, sed quæ eiusdem linguæ quasi Ciuitatis sunt; si aut vetustate nimia exoleuerint, aut nouitate nondum communem sui cognitionem fecerint: Horum itaq; omnium obscuritatis causa est, infrequentia vsus; at verò ea quoque obscura sunt, quæ & si ab om-

nibus

nibus vſurpata, non tamen ita adhibentur, atque Orationi inſeruntur, ut vulgò vſurpantur; nam, ut dictum eſt, quid Claſſicum ſignificet ſatis conſtat inter milites; verum ſi ad colligenda uaſa canatur; haud facilè intelligetur: notus eſt enim ſonus, ac ſæpe exauditus; ſignificatio tamen, quæ eſt ſigni forma, haud facilè cognoſcitur; eadem itaque ratione, Verba quæ in ore omnium ſunt, ſi ad aliud ſignificandum accommodentur, quàm ad quod vſus reperit; vox quidem auribus nota ueniet, ſignificatio autem erit obſcura: verum quæ hic dici poſſent paulò pòſt diligentiùs declarabuntur. Perſpicua itaque ſunt Verba quæ non modo quo ad vocem, & corpus ipſum frequenti ſermone vſurpantur, ſed quæ etiam quo ad ſignificationem; quo fit quędam eſſe magis nota in metaphorica, & aliena ſignificatione quam in propria, & magis interdum Peregrina, quam eiusdem linguæ; propterea quod rem longiore præſcriptione vſus ſignificent, quam proprium ipſum nomen.

De

De Suauitate Verborum.
Cap. III.

SVAVIA Verba ſunt quę audita pariunt Suauitatem: id autem duplici ratione, vel uoce ipſa, & ſono; uel ſignificatione, Voce quidem quæ eſt ut materia, & corpus Verborum, illa ſunt quæ aures veluti demulcent, atque deliniunt, non dico rithmo, aut harmonia, ſed ſono ipſo, quęm efferendis uocibus in communi vſu loquendi adhibemus; & quoniam corpora uerborum pluribus conſtantur partibus quę vocantur elementa, corpus dulce, ac ſuaue eſt, quod ex elementis ad eam rem idoneis componitur, propterea ęquum eſt ea Verba dulcia exiſtimare, quæ dulcibus, ac lenibus elementis conſtant; id autem à Grammatica, uel alia Arte accipiendum: non enim Artis Elocutionis eſt Elementorum, Syllabarumq́ naturam, & Accidentia perſcrutari. Significatione autem ęa Verba Suauia habentur, quæ res gratas, atque Iucundas ſignificant: habet autem ut ęquum eſt maiorem

vim

vim ad Suauitatem significatio, quam uox, est enim forma, quæ in compositis est agendi ratio, propterea ad eam maximè intendendus est Animus, nam Suauium rerum significatio vocem quamuis asperā, & iniucundam Suauem facit; voces enim, seu Verba non sunt nisi signa, perquæ animus ad res ductus in illis conquiescit, & pro earum qualitate afficitur; parum aut à signis; accidit præterea Verba quę Suaues, ac Iucundas res significant sono quoque, vt plurimum esse Suaues, siue id fortuito, siue consulto; propterea, si quis utatur Verbis iucunda significantibus quatenus ad uerba spectat Suauem faciet orationem.

De Grauitate Verborum. Cap. IIII.

GRAVITAS *quoque in sono, & significatione est: quapropter Grauia sunt, quoad sonum illa, quæ ex elementis constant multum spiritus habentibus, fit enim ex ÿs Verbum plenum; nam ubi multus est spiritus grauitèr, & plenè appellit ad aures, ac tardè moue-*

mouetur; quod Grauitatis est: huiusmodi sunt quæ multas habent consonantes, & pleniores vocales. Alia quoque ratione corpora Verborum Grauia sunt: dictum est ornamentum hoc voluptatem per admirationem parere, habent autem admirationem, vt plurimum noua omnia, ea enim imparatus animus, magna existimat, vel si qua alia est causa; non enim ea hic quærenda est: propterea Verba noua plurimum adiungunt orationi Grauitatis: est autem non vnius generis Nouitas, ut suo loco dicetur. Quoad significationem verò Grauia sunt, quæ res Graues significant: hæ autem quę sint, declaratum est. Hæc Grauia sunt etiam si ijs populus vtatur siue plebs, est enim Grammaticorum iudicij opiniari, horum vsu Verba humilia euadere, atque vilescere; Deus, Cælum, Sidera, Mens, Imperium, Bellum, Pax; & horum similia, vt grauissima sunt, ita à populo, & plebe vsurpata: non enim vsus plebeium facit Verbum, sed vel ignobilitas sonus, vel humilitas significationis: & quoniam plebs in vilissimis, atque ignobilibus versatur, quibus occupata est:

non

non mirum si vilissimis quoq; Verbis vtatur, quę non minùs nilia essent, si à Patritijs quoque & nobilioribus adhiberentur; non adhibentur autem vel quod res illas nobiles viri minimè tractant, vel quod ut ornatiùs loquantur Affinibus uerbis vtuntur, nō proprijs.

De Vsu Verborum. Cap. V.

PERSPICVA *Verba, Suauia, & Grauia hæc sunt quæ diximus: propterea si Verbis enuncianda sententia est, quibus vti ornamentis velimus statuere oportet; nā si ea nobis sufficiant propria rerū uocabula, ijs uti poterimus; si minus ad ea confugiendum præsidia quæ parata sententijs esse iam diximus: in ijs enim Verbis, quæ sunt in frequenti vsu; destituti auxilio propriorum ad aliena uertere animum oportet, quę nisi satisfaciant Antiquis, uel recentioribus utendum; uel ex alijs linguis transferenda, vel denique cudenda noua, dummodo non inuitis id ac repugnantibus auditoribus faciamus, quibus omnis loquendi*

quendi ratio accommodanda est. De Nouis itaque & Peregrinis, de Antiquis, ac Recentioribus postea dicentur, quę ad hanc Artem pertinere videbuntur. De Verbis autem eiusdem linguæ, qua ratione mutuam sibi ad significandum præstare operam possint, primum docere oportet: quod magis fortasse arduum est, quàm credi potest; non enim omne Verbnm alteriùs cuiuslibet Verbi significationem subire, ac sustinere potest: quapropter vt in sententijs, ita & in Verbis quærenda est Affinitas, nam inter quæ intercedit fieri potest mutuatio significationum. De Affinitatibus autem agā primo loco: nam & usus ratio hunc ordinem postulat; ut quoad possumus unius linguæ Verbis utamur siue eius ętatis, siue paulò superioris: hoc.n. & ad eius linguæ cōmendationem q̄ quis loquitur, et ad minorē auditorum laborem, & præterea ad loquentis laudem plurimū conducit scire ornatę unius linguę Verbis quęcunq. in mentē uenerint explicare: Tum adsciscenda Peregrina, quibus si proprię linguę ditare paupertatem nequeamus Noua denique effingenda sunt.

De

De Affinitatibus Verborum. Cap. VI.

QVONIAM autem Verba ſunt rerum ſigna omnis eorum Affinitas à rebus petēda eſt rerum autem Affinitas relatio quędam eſt, atque habitudo: Hæc autem vel eſſentialis, vel accidentalis; eſſentialis quidem inter cauſam, & effectum, & hæc ſempiterna; Cauſæ ſunt efficiens, Finis, Materia, Forma; & quoniam genus ſe habet vt materia, & eſt rei eſſentialis pars, propterea genus pro ſpecie, & pro genere ſpecies interdum accipitur; partes quoque materia ſunt totius, ac ob id mutuam ſibi operam præſtant in oratione. Accidentalem verò habitudinem habent accidentia, quæ vel inſunt, vel illā circunſtant, vel ad illam habent ordinem aliquem. Accidentia itaque quæ ſemper inſunt & ſoli, vel ſoli tantummodo, hæc propria appellantur, & pro re ſæpe ſumuntur, communia verò, cum habeant ad multa quoq; alia relationem, haud facilè poteſt per ea certa res ſignificari, et pro-

pterea sunt ad hunc vsum inepta, nam rectè quidem pro homine risibilem dicemus, non vero bipedem, cum & aues bipedes sint; quæ verò extra rem sunt præter causam, & effectum, aliquam & ipsa habere possunt non incõgruam ad id quod quærimus habitudinem, ordinemq;, nam Opposita, & Similia nominis communicationem admittunt: Quapropter loci Affinitatum sunt hi. Efficiens Finis, Forma, Materia, Effectus, Genus, Species, Totum, Pars, Accidentia propria, Similia, opposita. Ad hęc vertendus est animus si qua res appellanda sit, cuius proprium nomẽ, minimè satisfaciat, & ijs vtendum, siue vno id Verbo fieri possit siue pluribus: Accidit.n. sæpenumero aliquid esse Affine rei significandum quod vnico Verbo significari non potest, & hinc Periphrasis existit, quę rem proprio nomine non significat, sed Affine aliquid pluribus Verbis enunciat siue necessariò, siue ad maiorem ornatum. Quoniam verò Affinitas quæ in similitudine sita est metaphorã constituit, de qua multa dicenda sunt, de ea seiunctim agemus: Nunc autem de cæteris dicendum.

De

De Causis, effectu, Genere, Specie, Toto, Parte, Accidentibus proprijs, & oppositis. Cap. VII.

HARVM itaque Affinitatum Auxilio tantam comparare nobis possumus Verborum vbertatem, vt facilè quouis ornamenti genere, ac pluribus etiam eodem tempore orationem afficere queamus. Ab accidentibus quidem proprijs quæ ducuntur infinita propemodum sunt; propterea potest infinitis fermè nominibus ea ratione vnumquodque ens appellari; nam eximius Poeta quot modis mare appellat? Immēsum percurrimus ęquor à planitiæ; Fit sonitus spumante Salo à salsedine; Feror exul in altum à profunditate, Cerula verrunt à colore. Habet autem hæc Affinitas tum magnum usum propter copiam, tum magnum ornatum propter multa genera, atque diuersa accidentium; quorum & si ignota accipienda non sunt, obscura enim significatio euaderet, tamen cum ea etiam quæ sunt nota, non sint obuia omnibus (non enim

 ad

ad ea quisque animum vertit, nisi alterius impulsu) magnam afferunt voluptatem, quæ voluptas, vel delectatio ad omnes Affinitates pertinet, nam cum vnaquæque res nomine significatur alieno, aliquid in ea ostenditur, siue illud essentiale sit, siue accidentale, vt paulò antè de mare dictum est; propterea qui audiunt voluptate afficiuntur, quod noui aliquid addiscãt. Verùm de his in tractatione de Metaphora. Illud autem silentio præteriri non potest; Alios omnes qui de Elocutione scripserunt Affinitatem generis, & Speciei Metaphoris attribuisse, quod nulla ratione fieri, mihi visum est, Metaphoræ enim fundamentum est similitudo, quæ inter speciem, & genus non intercedit, quis enim dicat speciem generis esse similem? cum sibi inuicem partes sint; species enim generis pars existit, quàm vocant potentialem, genus verò speciei pars essentialis: quapropter vtrunq; videtur esse aliquid in re significanda, non simile rei; quo fit vt meritò à Metaphora natura non minùs diuersa, videatur; quam Affinitas totius & partis, & reliquæ omnes Affinitates;

non

non enim omnis alieni nominis vſus Metaphora appellandus eſt, ſed cuius ratio ſimilitudine continetur. Reliqua, quæ hic dicenda fortaſſe viderentur, quoniam in Affinitatibus ſententiarum dicta ſunt, inde petantur, ne moleſta ſit otioſa repetitio, ijs præſertim, quibus hæc ſcripta eſſe volumus. Ab exemplis verò eorum quæ dixi, conſulto abſtinui, quod ijs referta ſint volumina eorum qui de Elocutione ſcripſerunt, & quod in Oratoribus, Poetis, atque Hiſtoricis, absque labore vllo reperiantur.

De Affinitate Similitudinis, vel de Metaphora.
De Vtilitate Metaphoræ. Cap. VIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R*ELIQVVM eſt, vt de Affinitate dicamus, quæ Similitudine conſtat, quam ideo ſeiunximus, quòd multa ſcitu digniſſima, de ea dicenda ſunt: primum autem videre oportet quæ ſit eius vtilitas. Metaphoræ nomen ea verba ſignificat, quæ à proprijs ſi-*

gnificationibus, quasi sedibus, ad alienas propter similitudinem transferuntur: hæc magnum orationi afferre ornamentum omnes consentire videntur, & vsus ipse satis ostendit; & ex ijs quæ de sententiarum translationibus dicta sunt facitè intelligi potest: Cum enim quædam sit fermè inter omnia Similitudo, quæ nominum commutationem admittat, si Perspicuè de re aliqua minimè Perspicua, vel suauitèr, grauiteruè de re minimè Suaui, aut Graui loqui libuerit, nomina similium quæ perspicua sint, vel Suauia, vel Grauia accipientes orationem ornabimus, gratamq; omnibus faciemus. Hæc itaque est Metaphoræ Vtilitas. Verùm quia multum ad orationis elegantiam confert perfecta illius cognitio, hoc idem videtur diligentiùs explicandum. Sic dicamus: Translatio nominum à significatione propria ad significationem alienam, vel commendabilis est, vel non; commendatur autem, & ita vsu firmatur, vt maximum afferre momentum ad ornatè loquendum omnes existiment; est igitur necesse eam fieri ob aliquem finem. Is quæ-

ren-

rendus est, vt eas efficiendi rectam rationem teneamus: Non videtur autem inueniri facilè posse, nisi priùs notum sit an Translationes sint eiusdem rationis; hoc est, An fiant omnes in rebus ad nomina eodem modo se habentibus; quod minimè contingit: quædam enim fiunt ad ea quibus nomina non sunt imposita; quædam uerò ad nomen habentia: quæ igitur fiunt ad ea quæ nomine carent, satis constat fieri propter necessitatem; omnino autem omnium vocum vsus est propter significationem, & hic est finis intrinsecus, ac proximus; diuersitas autem vsus, propriarum scilicet vel Affinium, ortum habet à necessitate, vel ab aliqua alia causa, quibus enim nomen deest Necessitas cogit aliena tribuere: Ad ea verò quibus iam nomina imposita sunt, quàm ob causam dicemus fieri Translationes? Cnm itaque non fiant propter Necessitatem, necesse est fieri propter aliquid meliùs; nam quæ paucioribus fieri possunt frustra fiunt pluribus, nisi melius fiant, quapropter si res optimè proprijs nominibus significantur, vanus est, ac superuacuus labor

aliena adſciſcere; cum autem neque vanus ſit, neque non maximè laudandus: fatendum eſt huiuſmodi Translationes fieri propter meliorem ſignificationem; & quoniam ſimplicitèr Intelligentiæ ſatis ſit propria ſignificatione, dicendum videtur: Vſum Translationum eſſe propter meliorem, ac laudabiliorem ſignificationem, hoc eſt propter ornatum. Duplex itaque videtur Metaphoræ Vtilitas, Ornatus, & Neceſſitatis expletio, quæ illi cum cæteris Affinitatibus communia ſunt: Quoniam verò hæc multas habent dubitationes, ac difficultates diligentiori cura elaboranda ſunt, ac de ſingulis agendum particulari tractatione: Cum præſertim horum multa alijs quoque Affinitatibus accommodari poſſint.

De Metaphoris propter Neceſſitatem. Cap. IX.

VIDENTVR *itaque propter Neceſſitatem illæ Translationes quæ ad res fiunt orbatas nomine: Verùm quia multa ſunt in hac re diligentèr animaduertenda*

ſpem

ſpem non vulgaris vtilitatis minimè deſtitutura, in id intendendus eſt animus, vt omnem Metaphoræ Neceſſitatem oſtendamus. Cum itaque rei nomen deeſt, ſi quod ad illam ſignificandam transferatur, haud videtur poſſe dubitari Translationis cauſam eſſe Neceſſitatem: Videndum autem an in ijs quoque ob eandem cauſam fiant quæ nomen habent: Dubitandi ea videtur occaſio, quod nominibus translatis non ſemper ſola res, vel rei ſubſtantia tantummodo ſignificatur, ſed aliquod interdum eius accidens, ad quod præcipuè ſignificandum videtur facta Translatio: qui enim Amorem Ignis nomine vocat, vt Poeta celeberrimus

——Atque oſsibus implicat Ignem; *vel*

———& cæco carpitur Igni.

Non Amorem tantum ſignificare vult, hoc eſt deſiderium dominādi appetitui rei Amatæ, quæ eſt eius eſſentia: ſed accidens quoddam illius quo ita conſumit Amantes, ut ignis ea quibus implicatur. Hanc igitur rem cum ſua affectione, quàm indicare cupimus, unico verbo proprio ſignificare nō poſſumus, nam

ſi rei

ſi rei nomen accipiamus; rem ſignificabimus cum ſuis accidentibus, & nos vnum præ cęteris ſignificare contendimus, quod ſit propoſito ſermoni accommodatum; quare vtendum eſſet duobus nominibus, uerùm vno tantùm uti cupientes, alteriùs rei nomen accipimus quæ accidens illud habeat, quod in re ſignificare volumus, & quoniam in re multa ſunt accidentia, multis vti nominibus translatis poſſumus ad rem oſtendendam, pro diuerſitate accidentium ſignificandorum. Amorem enim non Ignem tantùm, ut modo diximus, ſed curam quoque appellatum reperimus:

At Regina graui iamdudum ſaucia cura

& vulnus, vt ſequenti verſu

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Duobus carminibus trielici nomine Amorem vocat Curam, Vulnus, Ignem: Hoc autem ob multa accidentia contingit quę in Amore ſunt, ad quæ oſtendenda multiplici Translatione utitur. Transferimus itaque nomina, primùm quidem, ut unico Verbo ſignificemus in re id quod proprio nequimus, tùm uerò quia meliùs illud accidens nomine translato indi-

indicamus, quàm ipso nomine accidentis, quod sic declarandum est. Quoties Accidentis nomen enunciatur, modus, & mensura, vt ita dicam, eius minimè ostenditur; si quis enim dicat Calidum Amorem, caloris intentionem vel gradus, vt Physici loquuntur, haud facilè possumus intelligere, si quis autem vt Maro fecit Ignem vocet, tam qualis quantusq; illius sit calor ope Translationis agnoscimus; abstracta enim nomina, rem indeterminatè significant, vt Calor & Calidum, accipio enim tanquàm abstractum etiam calidum, quia rem statam non indicat, sed id quod habet calorem sub incerta quantitate. Animus itaque his nominibus ad certam rei notionem minimè ducitur quemadmodum Metaphoricis: Prẹterea nomina accidentium quæ sunt significanda in re, nisi rei certè inhẹrentia significentur minus mouent animum, abstracta enim sensu minimè percipiuntur, nam quis vnquam calorem, aut calidum ab omni entium specie seiuncta sensibus expertus est? at quæ sensibus non apprehenduntur sui cognitionem in animo facere non possunt,

est

est enim sensus totius nostræ cognitionis principium; nomina verò quæ transferuntur cum rem in certa specie significent, faciliorem ingerunt sui cognitionem. His igitur de causis Metaphoricis plerunque nominibus vtimur, etiam in ijs rebus quæ nomina uidentur habere: quæ autem omnino illis carent, cum eas appellare volumus alienis indigent: quapropter Necessarię simpliciter sunt huiusmodi Translationes: nam quæ ad significandas res cum suis accidentibus fiunt, quæ res & etiam accidentia nomen habent, non simpliciter propter Necessitatem sunt, sed ad maiorem commoditatem, & propter ornatum, & si habent Necessitatem admistam, non enim potest vnico proprio verbo indicari id quod facilè fit, & percommodè metaphorico. Quæ autem transferuntur ad significandas res nomine carentes, si à rebus accipiantur quæ cum illis nullam habeant similitudinem AEquiuoca dicuntur: Hæc autem in oratione maximam obscuritatem efficiunt, cum enim ęque multa significent quid potissimùm intelligendum sit assequi difficilè est: Videntur autem ob ęquam signi-

ſignificationem à qua nomen traxere non eſſe Tranſlata cum nullibi propria ſint; verùm quia nomina eodem tempore non ſunt rebus impoſita, veriſimile eſt AEquiuocum ad rem aliquam vnam, certamq́; ſignificandam inuentum fuiſſe: propter ignorantiam autem eorum, qui nec imponere nomina, nec transferre inuenta ſciuerunt, rebus nulla ratione ſimilibus eſſe communicata: inde ſuborta dubitatio cui primùm impoſita ſint, nam inter quæ ſimilitudo apparet, id quod rei ſignificatæ naturam magis participat eſſe primùm nomine ſignificatum, & propter illud inuentum nomen arbitramur: cæteris uerò attributum propter ſimilitudinem: Quoniam enim Pedes, vel radices montium dicimus ab animalibus, plantisq́; eſſe acceptum ſcimus; propterea quod pedis, radicisq́; eſſentia in animalibus, ac plantis propriè reperitur.

De

De Metaphoris propter ornatum. Cap. X.

QVAE verò propter ornatum adhibentur rerum ſunt nomen habentium, ad quas alienum traducitur, vt illud idem ſignificetur, quod poteſt proprium nomen ſignificare huiuſmodi videntur, quæ fiũt inter eiusdem generis ſpecies; hæ namque metaphoræ, & harum ſimiles non rem cum aliquo accidente, ſed rem tantum ipſam ſignificare videntur, ad quam ſignificandam cum ſit proprium nomen inuentum, manifeſtum eſt nõ propter Neceſſitatem fieri Translationem, ſed propter ornatum: quæ verò fiunt ad accidens aliquod in re ſignificandum eas partim Neceſſariò, partim ad ornatum fieri cenſendum eſt: Neceſſariò quidem quoniam rei accidens cum ipſa re, & qua ratione vellemus, vnico nomine ſignificare non poſſumus, & propterea cogimur adhibere Translationem, quoniam verò & rei, & accidenti ſuum impoſitum eſt nomen, cum transferimus non

Ne-

Necessitate sermonis, sed ad maiorem orationis elegantiam facimus: quapropter ad ea quæ nomine vacant Necessitate aliena Vocabula accommodamus: propter ornatum ad ea quæ nomen habent, & tàm proprio, quàm translato significari possunt; ad ea verò quæ proprium habent, eo tamen vel non significari, vel non tàm commodè potest id quod alieno significatur, partim Necessitate transferimus, partim ad ornatum. Quoniam verò huius Artis, vt cæterarum omnium finis est operatio, vel opus: qua ratione efficere oporteat, & quæ propter Necessitatem, & quæ propter ornatum fiunt perscrutandum est. Primùm autem quid ad faciendas Metaphoras in vniuersum, ac simpliciter sit necessarium, tum quid ad ornatus, postea verò de singulis earum ornamentis, dicamus.

Quid

Quid ſit Neceſſarium ad faciendas Metaphoras. Cap. XI.

METAPHORAE propter Neceſſitatem ſi & ipſæ ornatæ ſint nullum ſequetur abſurdum: quin potius cum Transferentes optimè id facere conari debeamus, optimè autem fiat ſi ornatiſſimè faciamus, dicendum videtur in Metaphoris quoque Neceſſarijs haud eſſe prætermittendum ornatum: quapropter cum hoc ſit vtriſque commune, ſub eandem ſpeculatianem venient, cui ſequenti capite ſatisfaciemus; multò autem magis ambabus illud commune videtur qnod ad ſimpliciter faciendum Metaphoras eſt neceſſarium; cum enim utriſque ſit vniuocum Translationis nomen, quod generi eſt proprium neceſſario omnibus quoque ſpeciebus accidit. Quærentes itaque Neceſſaria ad faciendas Metaphoras, quæ ad ornatum, & quæ propter Neceſſitatem fiunt vnica tractatione complectemur. Hoc igitur videamus, hinc facto principio. Cum loquimur,

aliquid

aliquid significare volumus: id autem siue proprium nomen habeat, siue non; alieno interdum significare contendimus; id igitur fieri posse, & maximum esse orateonis ornamentum iam diximus, verum à quibus hæc petenda sint nomina in ambiguum videtur. Dictum est si quid alieno sit appellandum uocabulo non posse, nisi ab Affine sibi re desumpto; Translata verò sumi ab Affinibus propter similitudinem: Similia voco quibus eadem aliqua entitas communis est: huius signum, quod illæ maximè commendantur Translationes, quæ à rebus similibus fiunt; eas verò improbamus quæ à dissimilibus, vel ab ijs quorum ignota, vel exigua est similitudo; & hæc quidem laus, & vituperatio Metaphoræ videtur quatenus Metaphora est; nã versatur in essentia; cum verò eas reprehendimus, quod à turpibus vel humilibus ductæ sint, ornatum desideramus quod accidens est: accipiamus itaque id quod comprobat vsus, & eorum omnium opinio qui de Metaphora scripserunt eam non ad libitum, ac temerè fieri, sed certam ineundam, atque adhibendam

dam esse rationem; ita vt ab ijs tantum rebus nomina traducantur, quæ similes sint ea ratione, qua vult quisquis loquitur rem significare, cui nomen communicat; si enim eam tantùm indicare velit, à re nomen accipiet quæ in substantia similis sit, sin autem rem cum aliquo accidente, rei nomen sumet cui accidens illud inhæreat: ita vt omnino Translationum fundamentum sit rerum similitudo. Verum hucusq; dicta facilè perspecta sunt omnibus etiam Grammaticis: quapropter ne irritum adhibuisse laborem videamur ad aliquid noui aperiendum, quod fore gratum, & maximè vtile arbitramur demonstrare oportet qualis esse similitudo debeat. Primùm itaque Similitudo quædam identitas est, non tamen propterea similia idem omnino sunt ob id, quæ idem sunt, Translationes non recipiunt, sed inter ea est æquanominis communicatio: quapropter huiusmodi res non modo idem aliqua ratione, sed etiam esse differentes oportet quoniam verò similitudo est eiusdem entitatis communio, qualem hanc esse oporteat dicendum; cum

enim

enim pluribus rebus eadem insit entitas, ea vel habet in omnibus eandem definitionem, vel non; si minimè habet ea ratione, vna & eadem esse non potest, nam quorum diuersa est definitio, diuersam quoque necesse est esse entitatem, quæ autem hanc habent diuersam similia non sunt, cum similitudo sit communio eiusdem entitatis; propterea quæ entitas illa diuersas habet definitiones Similitudinē in rebus efficere non potest: Metaphora verò à similibus ducitur; igitur necesse est eam quæ similitudinis est fundamentum diuersam non habere definitionem, sed vnam, eandēq;: at quę eandem habent definitionem, Vniuoca dicũtur, igitur similia quorum nomina adhibentur ad Metaphoras faciendas, Vniuocam habere naturam quæ similia sunt necessarium videtur: propterea cum res quorum nomina sunt ęquiuoca, & quæ ad vnum sunt. nullam habeant eiusmodi cõmunionem, iure à Translationibus excluduntur. Quoniam verò ita Vetustiores tradidere Scriptores, esse quandam Metaphoræ speciem, quæ proportionis dicitur, quàm volunt omnium esse pulcherrimam,

mam, ad eamque proportionis tantum ſimilitudinem eſſe neceſſariam, id vtrum verum ſit, necne animaduertendum videtur; non enim quæcunque tulit Antiquitas, & ſi Annorum longa ſeries comprobauit, ipſo iure ita accipienda ſunt, vt in ijs cohibendam eſſe noſtri iudicij cenſuram arbitremur, cæcorum enim eſt, ac pecudum, ita ſequi præeuntes, vt omnis præterea itineris cura proijciatur. Accipiunt itaque quatuor terminos, quorum ſi ita ſe habet quartus ad tertium, vt ſecũdus ad primum, poteſt fieri optima Translatio à quarto ad ſecundum, & à ſecundo ad quartum, eſt enim huius fundamentum ſimilitudo proportionis: quapropter quia eſt proportio eadem ſenectutis ad vitam, quæ Veſperi ad diem, optimè Veſperum appellamus diei ſenectutem, hanc verò vitæ veſperum. Hæc ſi vera ſint ius Translationum latè diffunditur, ac longiùs fortaſſe quàm hi vellent quorum hæc opinio eſt; nam cum propriæ omnes affectiones eandem habeant proportionem ad ſua ſubiecta, ab omnibus duci poſſe videbitur cõmendabilis Translatio, quapropter ſi ob ſimili-

litu-

litudinem proportionis patera Bacchi appellari potest clypeus Martis, & è contra; non minus lucẽ risibilitatem solis dicere, risibilitatẽ verò lucem hominis posse videmur; eadẽ enim proportio est lucis ad solem, quæ risibilitatis ad hominem. Videntur autem hę Translationes neque vsu adhuc inuectæ, neque vlla ratione posse firmari; non igitur similitudo proportionis Metaphoram constituit, signum verò in ijs quoque est, quæ vim, ac vitam habere creduntur à proportione si res accipiantur valde dissimiles: sit enim loco clypei hasta, aut loco pateræ amphora sanè risum Translatio excitabit, quæ dicat hastam esse pateram Martis, aut amphoram clypeum Bacchi, cum tamen proportio eadem sit cum ea, quàm habent patera, & clypeus: Verum illa non propter proportionem sibi nomina mutuantur, sed propter figuræ notam similitudinem; Dicet autem aliquis proportionem quoque esse rem quandam, ac propterea quæcunque eandem habeant proportionem communem aliquam habere naturam, hæc autem similia esse dictum est. Hæc dubitatio ita

soluitur: Si proportio similis Metaphoram admittit quia similis est, non igitur qua proportio, sed qua similis; propterea bene à nobis dictum est Metaphoræ rationem esse similitudinem; proportio enim videtur potius fundamentum similitudinis, quæ tamen ita ignota est, vel obscura, vt vel nunquam vel raro sit apta Translationibus; nam proportio est ab intellectu efficta quędam natura, quam minimum habens entitatis realis; quæ cum plerunque incomperta latitet, reijcienda est ab vsu transferentium. Cætera verò rerum accidentia, atque entitates cum magis cognita sint, atque perspecta, hanc nominum commutationem facilè patiuntur. Quoniam autem diximus in ijs debere esse communionem vniuocam alicuius naturæ; dubitandum fortasse videatur cur nominum mutua communicatio semper non fiat, sed rarò id accidat; rectè enim dicimus hominem extintum esse, quod propriũ luminis videtur aut ignis; at uerò non rectè lumen interemptum, quod hominis est: quemadmodum Amorem ignem appellamus, at si quis Ignem vocet Amorem,

non

non magis intelligetur, quàm si niuem odium appellet. Hoc igitur duabus de causis fieri censeo, prima quidem quod alter terminorum entitatem quæ similitudinis est ratio notiorẽ in se habeat, atque intentiorem, alter verò uel ignotiorem, remissioremq; vel etiam omnino illa careat: propterea si uirum aliquem Leonis nomine appellem, ut eius fortitudinem ostendam, non potero commutato nomine Leonem illius vocabulo appellare, Cæsaris scilicet, vel Achillis: Ratio, quia Metaphoræ fundamentum est communio fortitudinis, hæc autem longe maior, & notior in Leone, quàm in viro aliquo, in quo vel imbecilla est, vel ignotior, vel etiam minimè inest: non enim semper communio entitatis vera est, ac realis, sed illud satis est, si absurda communio minimè sit, eo quod terminus ad quem traducitur nomen incapax illius entitatis non videatur, vt est planta incapax fortitudinis, ac propterea non potest nomine Leonis appellari. Metaphora enim fit ad ostendẽdum in re ad quam fit, entitatem quandam inesse, quæ inesse possit, siue insit, siue non: Amor itaque de-

siderium quoddam est cui affectio quædam veluti ardoris interdum inest; hæc autem passio ignis propria existit, & illum semper comitatur, quod minimè accidit Amori, propterea ad illam in Amore significandam Ignis nomen assumitur, & Amori communicatur; absurdum autem esset ad eam in Igne indicandam, in quo semper est; nomen Amoris transferre. Hæc igitur prima ratio. Alia verò est quia interdum plura significantur vno termino, quàm altero eorum: extinguere enim significat, destruere, atque corrumpere, & id propriè in lumine uel igne, interimere autem idem significat, sed præterea etiam vim quandam hostilem, ferrum vulnera, quæ minimè possumus igni attribuere, & illa ita manifestè significat, vt statim subeant intelligentiam; propterea si ad rem aliam transferantur, in qua minimè insint, nec possint accommodari illico Translatio improbatur.

Quæ ſint neceſſaria ad faciendas Metaphoras ornatas. Cap. XII.

NVNC autem videndum, quid ad efficiendum ornatas neceßarium ſit, ſupponendum eſt autem in Metaphoris, vt in oratione vniuerſa nullum eſſe aliud ornamẽti genus, quàm tria prędicta: propterea quæ ſint ad hoc neceßaria generico ſermone explicabimus. Primùm autem fundamentum ſeruetur incolume de communione entitatis, ſiue de ſimilitudine; verum cum ſimilia multa ſint, à rebus magis ornatis accipiendũ eſt nomen; & illo præſertim ornatu, quo afficere Metaphoram volumus; & quia nomina quæ ornatum faciunt ſi transferantur id maius, aut minus efficiunt animaduertere oportet quid oratio poſtulet, uel potius ipſa res, de qua oratio habetur; & an id quod translato nomine ſignificandum eſt efferendum ſit ad ſummum ornamenti, an in mediocritate conſtituendum; nam vel ab ijs qui perfectißimã

illam

illam habent entitatem, uel ab ijs quæ mediocrem, ducenda translatio erit, ut si maximè alicuius pulchritudo videatur cõmendanda à sole, quod supremum videtur in illo genere ducetur, si minus à cæteris sideribus, vel re alia minus pulchra. Quando autem faciendæ sint ornatissimæ, aut minus ornatæ, nõ est huius Artis docere: sed eius quę rebus orationem adiungit non propter orationem, sed propter ipsas res, & qua ratione sit de vnaquaque loquendum ostendit. Hæc autem minimè vna uidetur; Ars enim elocutionis rectè efficiendi ornamenta præceptionibus continetur; ijs autem qui vti debent, ut Orator, Historicus, Poeta, cæterisuè uidendum est qua ratione, & quali, idest quibus ornamentis, & qua ratione vti oporteat: & hæc est tractatio de elocutione quàm Arti Rhetoricæ, Poeticæ, atq; Historicæ inserere decet; nam qui absolutè, & simpliciter de Elocutione, imo de locutione agunt in illis Artibus, limites earum ignorare, ac tractationes, Artesq; confudere videntur.

De Perſpicuitate Metaphoræ. Cap. XIII.

SEQVITVR, vt agamus de ſpeciebus ornamentorum, ac primùm de Perſpicuitate Metaphoræ. Erunt itaque Perſpicuæ ſi facilè intelligantur; intelligentia in eo conſtituta eſt, vt cognoſcatur quid translato nomine ſignificetur, cum manifeſtum ſit ſignificationem propriam non eſſe. Primùm igitur neceſſe eſt illius propriā ſignificationem, vel ipſum nomen cognitum habere, ſi etenim minimè cognoſcatur quid translatè ſignificet cognoſci minimè poterit: quapropter nota uocabula ſumenda ſunt, hæc autem transferenda ad ſimilia rerum quas propriè ſignificant; hoc enim & Metaphoræ fundamentum eſt, & Perſpicuitatis; nam cum nomen tranfertur ad alienam ſignificationem, intelligi minimè poſſet, niſi ratio quare translatum eſt appareret; eſt autem ratio, ſimilitudo; qua intercedente is qui Metaphoricum nomen audit, ex adiunctisq; cognoſcit in propria ſigni-

gnificatione minimè esse accipiendum, statim ab eo quòd propriè significatur animum vertit ad rem, ad quam translatio fit, quæ quoniam similis existit eam esse intelligendã facilè cognoscit; præsertim si manifesta sit & intellectu facilis entitatis communio; quæ enim latet, ac difficilè perspicitur, animum ad se ęgre, multoq; cum labore, ac tempore conuertit, ac propterea translatum vel non intelligitur, vel magna difficultate; & hoc est esse Metaphoras obscuras: accidit autem obscuritas, vel cum exigua est similitudo, ita vt non benè videatur nomen transferri, & Animus haud sibi persuadeat ad rem illam significanda esse nomen acceptum; vel cum & si magna intercedit, ea tamen latet. Hoc autem an contingere possit quærendum uidetur. Si itaque intercedens similitudo lateat non cognoscetur; non cognoscetur autem vel quod ipsæ res ambæ ignotæ sint, vel similitudo; quod igitur multę simillimæ sint, quarum neque similitudinem cognoscimus, neque ipsasmet, satis est manifestum, quot enim sunt quæ nostram effugiunt cognitionem?

quo

quo etiam fit, vt rem aliquam cognoſcere poſſimus cuius ſimillimam ignoremus: verum ſi ambas ſimiles cognouerimus dubium eſt an poſſimus magnam earum ſimilitudinem ignorare. Satis conſtat in rebus omnibus præſertim compoſitis multas eſſe entitates, ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales, quæ re cognita cognitione confuſa minimè cognoſcuntur: multa quoque eſſe quorum natura communis eſt, quòd tamen rebus cognitis minimè cognoſcimus, accidit autem hoc propter cognitionẽ quàm de illis habemus, duplex enim ea eſt diſtincta, perfectaq́; eum ſcilicet rei definitionem tenemus; alia verò confuſa, atque incoata, cum rem ſenſu aliquo tantum perceperimus, non præterea naturam. Igitur facilè poteſt accidere, vt rebus confusè cognitis eſſentialem ſimilitudinem, ſiue entitatis eſſentialis communionem minimè cognoſcamus: eadẽ ratione cum in rebus multa ſint accidentia cognitu non facilia, haud abſurdum eſt rebus confusè cognitis, communionem eiuſdem accidentis non videre, quod maiori mortalium parti euenit, nam rerum perfectam cognitionem

nem pauci aſſequuntur, & hi ſunt qui & facilè inueniunt, & inuentas facilè Metaphoras intelligunt; quoniam verò accommodanda eſt auribus quoq; imperitorum oratio; qui nomina transfert, primùm videre eum oportet an res à qua nomen accipit nota ſit, ea præſertim ratione, qua vult; quatenus ſcilicet eã habet entitatem ad quam ſignificandam in alienum locum nomen inducit; tùm verò an res ad quam transfert, illam eandem habeat, vel probabile ſit habere, vel ſaltem non repugnet, neque id ſatis eſt ad Perſpicuitatem: ſed videndum præterea an in vtraque re manifeſta ſit, & apparens, vel apparens in re à qua nomen ſumitur, in re autẽ ad quam transfertur ineſſe ſaltem credi poſſit; nam, vt dictum eſt, ſi quis Achillem Leonẽ vocet, fortè haud verum eſt tantam eſſe in eo fortitudinem, facilè tamen Metaphora percipitur, propterea quod haud videtur incredibile Achillem fortiſſimum eſſe, & facilè intelligitur quid in eo ſignificare velit Metaphoricum nomen. Quibus autem in rebus, & propter quas entitatum communicationes id accidat perſcrutandum

dum videtur, vt quasi locus quidam ostendatur ad efficiendum Perspicuas Metaphoras non multo labore. Manifestum est itaque orationem omnibus intelligibilem esse oportere, eamque esse & orationem & Metaphoram Perspicuam quę facilè intelligatur; facilè autem intelligitur, si absq; labore similitudo cognoscatur, facilè autem similitudo cognoscitur, si & res ipsæ similes, & similitudo, hoc est eiusdem entitatis communio sit nota, at omnibus nota sunt quæ sensibilium finibus coercentur; intellectus enim, & si omnibus natura communis, vsus tamen minimè communis est, præsertim ad quædam difficiliora cognoscenda; sensuum autem munere vnusquisque fungitur, sine labore; propterea intelligibilia paucis, sensibilia omnibus cognita sunt. In ijs igitur facienda est nominum commutatio, erit enim Translatio Perspicua, cum sensibilem habeant, & cognitu facilem entitatis communionem. Hanc autem, non modo esse notam omnibus, sed etiam primum se Animo offerre oportet, ita vt nomine auribus excepto, citius ad animum percurrat quam dissimi-

similitudo quæ in rebus existat: in ijs enim cum similia multa, tum verò etiam dissimilia esse possunt: quapropter inter quæ similitudo prædicta est, nominum communicatio fieri potest, dummodo non tanto sit dissimilitudo manifestior sensibilisq; magis, vt similitudo obruatur; nam & si eam animus intelligit, perturbatur tamen prima nominis auditione, à dissimilitudine rerum: vt si quis velit significare magnam vim lachrimarum aliquem effundere, eo quod arenarum infinitus propemodum sit numerus, dicat eum ex oculis arenas emittere; cum in arenis maximè nota sit siccitas quæ est contraria humiditati lachrimarum, conturbatur animus, & multum de Perspicuitate dissimilitudo detrahit. Ab ijs igitur ducenda est Metaphora quæ similitudinem habeant euidentiorem dissimilitudine, & ab ijs quæ sunt obuia sensibus, vel intellectu facilè perceptibilia.

De

De Suauitate, & Grauitate Metaphoræ Cap. XIIII.

ORNAMENTVM Suauitatis in Metaphora eſt cum à ſuauibus rebus nomina ſumuntur, omnes enim voces primũ Animo obijciunt quod propriè ſignificant; quod ſi Suaue ſit delinit animũ, & ſi ad aliud indicandum traductum eſſe nomen cognoſcitur: Eadem ratione Grauitatem efficiemus ſi ab ijs quę Grauia ſunt vocabula mutuemur. Quæ omnia cum ex ſe quiſquis intelligere poſſit, noſtram morari tractationem minimè debent. Verùm quia ab ijs ornamentis ea voluptate animus afficitur, qua ab vniuerſæ orationis ornamentis; Vt quãm fieri poteſt in hac Arte Abſolutam, Perfectamq́; Metaphoræ cognitionem habeamus, illam quoque omittere non decet, ac ſilentio præterire, quæ propria Metaphoræ eſt qua Metaphora, multa enim de illa, & ſi ab alijs dicta ſunt, nobis dicenda reſtant.

De Delectatione quam efficit Metaphora. Cap. XV.

TRANSLATA itaque nomina quandam nobis afferre delectationem celebris opinio est, quam & grauissimorum Authorum firmauit consensus, & à veritate non abhorrere vsus ipse, atque experientia satis ostendunt: nam si nomina accipiamus in propria significatione, atque Metaphorica, haud difficili negotio poterimus intelligere quanto gratiora nobis, & iucundiora accidant Metaphorica. Accipiamus ignem in propria significatione

—Sacrisq; effert penetralibus Ignem

Translatè autem

—Mens ignis Amintas. *& Vulnus.*

—Pulchram quærunt per vulnera mortem.

Metaphoricè verò

—Vulnus alit venis.

Hæc si quis non intelligat quanto iucundiora sint in aliena significatione non est quod in Scriptorum lectione multum laboret: Huius

autem

autem ratio quærenda, vt & Vtilitatem Metaphoræ meliùs cognoſcere, & hanc delectationem ab ornamentorum delectatione ſeiungere poſſimus. Hæc itaque oblectatio in propria verborum ſignificatione minimè reperitur, ſed in translata; eſt igitur illius cauſa translatio: Hoc videndum. Iſta delectatio fit in animo propter ſignificationem translatam Verbi, ita vt non fiat ob apprehenſionem alicuius obiecti ſignificati; nam illud ipſum apprehenditur quoq; per vocem propriam, cum tamen translata magis delectet: eſt autem Delectatio, vel ob apprehenſionem, vel ipſa apprehenſio rei delectabilis; delectabile verò eſt vnumquodque obiectum facultatis apprehenſiuæ quando perfectum eſt, tunc enim facultatem perficit; vnaquæque autem facultas & ſuam perfectionem concupiſcit, & ea habita delectatur; quemadmodum dicetur in Speculatiua Philoſophia. Apprehenſio igitur delectationis, vel id quod afficitur delectatione Metaphoricis nominibus, neque ſenſus eſt, neque aliud cum cæteris animantibus nobis commune, ſed intellectus, qui ea

significatione cum delectetur obiectum sibi proprium, & ratione aliqua perfectum necessariò suscipit; non enim potest alio modo voluptate perfundi, est autem obiectum intellectus cognitio rerum, vel res quæ intelligibiles, propterea dum aliquid intelligit gaudet, & dum gaudet. aliquid intelligit; cum enim sit illius munus intelligere, intelligendo perficitur, & perfectione oblectatur: significatione itaq; Metaphorica cũ voluptate afficiatur, necesse est id ob eam rem accidere, quod ex ea aliquid intelligat, cognoscatque quod prius ignorabat: quærendum autem, quæ, qualisuè sit hæc intellectiua cognitio. Manifestum est eam à translato nomine, ab eiusq; significatione ortum habere; significatio autem duplex, propria, & translata; nam & si nomen ad rem aliam transfertur, non tamen propriam amittit significationem, quàm animo, primũ insinuat, subit verò secundo loco ob rerum similitudinem aliena: hinc fit, vt duæ res vno ferè tempore; &, quod maximè delectationem facit intercedens quoque similitudo cognoscatur: quam vel minus antea nouerat intelle-

tellectus, vel eius oblitus erat, vel non animaduertebat, ad eam igitur vel repetendam, vel cognoscendam excitatur Metaphorico nomine; qua cognitione oblectatur; multo autem magis noua si sit: ob eamque rem frequentiore vsu, ac vetustate translationes, haud multũ delectant, è contra verò maxima afficiunt voluptate recentes, si aptam, ueramq́; similitudinem res habeãt, nam si minus; falsitate intellectus molestia afficitur. Cognitio igitur similitudinis videtur causa delectationis; quæ cognitio (quod à nemine animaduersum est) haud parui pręcij uidetur: ad rerum enim definitionem viam aperit, nam eadem natura, atq; entitas, quæ similitudinis causa existit cum in multis reperiatur, multas sui veluti facies ostendit, & quod eius latet in vno, in altero clariùs apparet; vel quod in vno ex vna tantum parte ostenditur, atque cognoscitur, in alio pleniùs, atque vberius; propterea cognitio certior fit, atque validior, ex quo facilior fit aditus ad reperiendam definitionem. Definitio autem est maximum quod quæritur de re qualibet; nam & essen-

tiam significat, & est diuisionum, demonstrationumq́; principium, quibus uniuersa rerum cognitio continetur: propterea non mirum, si cum ad tantam promouere possit cognitionem rerum similitudo, tātopere precapta delectet, & si hæc fortè minimè nouerint, aut animaduertant omnes quibus grata sunt, atque iucunda Verborum translationes. Cognitio autem ista, siue fiat syllogismo, siue non, id parum refert, fortè enim haud est necessarium rerum similitudines, argumentatione, syllogistica cognoscere, cum idem sensibus puncto temporis fiat; quis enim duos videns albos pariantes ad similitudinem eorum cognoscendam vtatur syllogismo? Idem dicendum de reliquis; nam siue oculis percipiantur, siue hauriantur auditu, eadem est ratio cognoscendi. Verum ex ijs quæ dicta sunt huiusmodi oritur dubitatio. Metaphora qua talis ornamentum locutionis non est, non enim vel Perspicuitas, vel Suauitas, vel Grauitas, potius est id quod habet, vel habere potest hæc ornamenta; tamen qua Metaphora delectatione afficit, at quod in oratione delectationem

nem facit ornamentum illius videtur, vt ornamenti definitio ostendit. Metaphora igitur est præter dicta orationis ornamentum. Hoc perscrutandum: Videre autem oportet, an huiusmodi delectationes eiusdem sint generis; est autem dictum hanc delectationem oriri à cognitione, quæ fit per Metaphoricum nomen, propterea quod sit cognitio, quędam intellectus perfectio; ornamenta verò nullam cognitionem parere videntur per quam efficiant delectationem. Perspicuitas enim facilitate intellectionis, Suauitas delenitione aurium, atque animi, Grauitas verò admiratione quadam, tàm verbis, quàm sententijs propriam delectationem efficiunt, quæ omnia, aut nullam, aut exiguam afferunt cognitionem. Præterea si ornamenta oblectarent ratione cognitionis, omne faciens in oratione cognitionem ornamentum illius esset, ornatissimaq; maximè videretur docens oratio: quapropter non modo Metaphora, sed speculatiuæ scientiæ quarum propria cognitio est, & argumentatiuæ omnes orationes, elegantiores longè quam Poetarum, aut

Oratorum haberentur, illis enim & maior, & nobilior cognitio inest: at hoc absurdum videtur, sæpe enim incultissimè Philosophi loquuntur, atque ij præsertim quos aliena lingua loquutos in nostram translatos legimus, quorum tamen scripta percurrimus summa voluptate propter cognitionem, & scientiam; propter locutionem verò summa molestia; notum id ijs qui scripta legunt Auicennæ, Auerrois, Algazzelis, cæterorumq; Arabum, vt de Græcis taceam, in quibus paulò fuit diligentior, atq; felicior transferentium labor. Non igitur omne quod oblectat in oratione est illius ornamentum: propterea & si Metaphora delectat, non tamen qua talis ornamentum est, licet ornamenta omnia possit induere, vt supra ostendimus; quibus affecta duplicem parit voluptatem, & quæ ornamentorum est, & quæ ipsius propria.

De

De Speciebus Metaphoræ. Cap. XVI.

POSTQVAM ea dicta sunt quæ ad ornatas efficiendas Metaphoras necessaria esse videbantur, non iniuria aliquis fortasse desideret quot earum sint species intelligere. Verùm illud est nobis animaduertendum de ornamentis hanc Artem habere sermonem, & si quid sumat præter ipsa ornamenta id esse ea tantùm ratione quà potest ornamenta suscipere: agere igitur de Metaphora simplicitèr cum simpliciter, & quà talis ornamentum orationis non sit, alterius est Artis: at verò quà potest subijci ornamentis, atque ornata fieri, de illa iam satis diximus; & hac ratione species illius inuenire, haud erit magna difficultas, nam vt naturam ornamenti induit alia Perspicua est, alia Suauis, alia Grauis. Quod si quis velit species illius perscrutari, quà Metaphora longè alia via incedendum videtur quàm hi fecerint, qui quatuor esse dixerunt à genere ad speciem,

ciem, à specie ad genus, à specie ad speciem, & quæ proportionis dicitur, nam à genere ad speciem, & à specie ad genus, Metaphora non est, vt paulo antè diximus, quod ij facilè concedent qui ab Affinitate similitudinis cęteras distinguere nouerint, quique in ea esse constitutam Metaphoræ essentiam intellexerint, nam de ea quæ proportionis appellatur satis dictum est: Qui autem ab Animato ad animatum, vel ab animato ad inanimatum, vel ab inanimato ad inanimatum, uel ab inanimato ad animatum diuisionem instituere; cur non à calido ad frigidum, vel ab albo ad nigrum instituerunt? quæ causa enim illos persuasit, vt inde species sumerent? In quo longè magis decepti sunt, quàm priores illi; nam cum ad significanda entia sint reperta nomina, illi à prima entis diuisione verborum, ac translationum diuisionem sumpserunt; diuiditur autem in substantiam, & accidens: quapropter quæ eandem habent substantiam triplicem constituere posse crediderunt Metaphoræ speciem, à genere ad speciem, à specie ad genus, à specie ad speciem;

quæ

quæ verò idem accidens ſpeciem proportionis. Hi verò neque à prima diuiſione entis, neque à ſubdiuiſione quæ eſt ſubſtantiæ in Corpoream, & Incorpoream: ſed à tertia diuiſione quæ eſt corporeæ ſubſtantiæ in Animatam, & inanimam; quapropter inter ea quæ hanc diuiſionem antecedunt, vt ſubſtantia corporea, & incorporea, fieri metaphora non poteſt, cũ neque animata ſint, neque inanimata. A ſimilitudine itaque ducenda diuiſio, hæc autem entitatis communio eſt; quot igitur variæ entitatis eiuſdem communicationes, tot Metaphoræ ſpecies; tot autem variæ communicationes quot entitates; entitates autem primo in ſubſtantiales, & accidentales diuiduntur, & abſoluta diuiſione, vt in præſentia arbitror, in decem ſumma genera. Hæc igitur eſt diuidendi ratio, quam quiſque perficiet, atq; abſoluet, ſi vtrum in omnibus prædicamentis fieri poſſit communicatio, quæ ad Metaphoram apta ſit, nec ne diligenter animaduertet: Harum tamen omnium eadem eſt ornamenti ratio, quàm paulò antè tradidimus cum id eſſe huius Artis videretur.

Nunc

Nunc autem cum ſatis dictum ſit de Metaphoris, reliquum eſt, vt de ijs agamus quæ ad illius naturam proximè videntur accedere, ſunt autem hæc Similitudo, & Epithetum; prius autem de ſimilitudine, cum illi propinquior, ac magis affinis videatur.

De Similitudine. Cap. XVII.

QVEMADMODVM diximus de Metaphoris, earum rationem in entitatis eiusdem communicatione eſſe conſtitutam, ita etiam de Similitudine dicendum eſt, nam inter quæ ea fit, communicationem prædictam eſſe oportet. Ratio itaque videtur eadem vtriuſque, non tamen omnino eadem eſt: Metaphora enim nomen pro nomine ſtatuit, quaſi idem prorſus ſint in quibus fit nominum mutuatio; propterea aſſequimur quidē intelligentia ſimilitudinem, verbum tamen ipſum translatum identitatem potius oſtendere videtur, absque vlla rerum diſſimilitudine, aut differentia rem enim ſignificat eodem modo,

quo

quo proprium nomen ſine vlla alterius Verbi adiunctione, quæ rerum diſtinctionem aliquam ſignificet: hoc autem in ſimilitudine fit, adiunguntur enim Verba, fore, quaſi, proponendum, Veluti, non ſecus ac, & eiusmodi; quæ, res aliqua ratione ſimiles oſtendunt, non idem; ita vt videatur in Metaphoris non rem alteri ſimilem nos dicere, ſed cum illius nomen ponamus, ambas idem eſſe ſignificare

Mane ſalutatum totis vomit ędibus undam

Vndam Poeta dixit Salutantum Metaphoricè, verbumq́ue illud ab accidente quodam aquarum accepit, atque eo ſalutantum ſimile accidens ita ſignificauit, vt non ſimile, ſed idem, nam Vnda abſolutè, & incomitata ſumitur, propterea fit non ſimilitudo, ſed veluti in identitatem mutatio, nomen enim communicantes eſſentiam communicare ſimul uidemur. In Similitudine non communicamus nomen, ſed rem cum re comparamus, & illarum ſimilitudinem oſtendimus, ob id in Metaphoris occulta eſt ſimilitudo quæ differentiam quandam oſtendit, & propter idem nomen ferè manifeſta identitas: in Translationibus

nibus itaque maior Similitudo postulatur, cum nomen identitatem præseferat. Hinc fit Similitudines tunc esse faciendas cum ad Metaphoram Similitudo haud videtur sufficiens, verba enim similitudinis excusant id quod ad perfectam deest Similitudinem Metaphoræ necessariam, quod translato nomine fieri non potest. Finis autem illius est Significatio alicuius entitatis in re; ad quod institutam Metaphoram diximus; quapropter cũ & finis idem sit & ratio, eadem quoque ornamenta subire, & ab ijsdem rebus duci potest, à quibus Metaphora, nulla enim inter ea differentia est pręter maiorem, aut minorem entitatis eiusdem communionem: cum autem idem omnino significent, & præstent in oratione, accidatque gratissima Metaphora, & paucioribus verbis suo defungatur munere; nullam aliam ob causam similitudo adhibetur, nisi quia fortè videatur durior futura translatio. Quod si fiat Similitudo in ijs quoque rebus inter quę optima fieri posset Metaphora, id ob eam rem accidit, quod multa in vsum aliquem reperiũtur, quæ tamen paulo

lo

lo pòst alijs quoque vsibus accommodantur; quapropter ne creber Metaphoræ vsus pariat satietatem, ad comparandam varietatem, quæ vt in cæteris rebus ita in oratione iucundissima est, sæpe Similitudinis verba substituuntur: Cum igitur fermè idem sint, sibiq; mutuam operam præstent, quæ de Metaphoris dicta sunt poterit quisque ad faciendas Similitudines accommodare.

De Epithetis. Cap. XVIII.

PROXIME' *post Similitudinem Metaphoræ naturam Epitheta attingunt; nam & ipsa quoque in re aliquid significant, vt Metaphora, verùm alia ratione, Metaphora enim nomen alienum accipit, proprium reijcit; nomenq; pro nomine statuit: Epitheta verò nomen rei, in qua aliquid significant non immutant, neque accipiunt alterius rei nomen, sed illius tantùm entitatis; quàm inesse significare eorum munus est.*

Sublimemq; feres ad sidera cœli Magnanimum AEneam.

Tran-

Translatio loco nominis AEneæ, & Magnanimi fortè Leonem aßumpsißet Epithetum, vtrumq; seruat. Præterea Metaphora aliquid etiam essentiale in re significat, illa scilicet quæ ducitur à rebus in entitate essentiali similibus, vt ea quæ pro occidere sumit extinguere, vtrunque enim corrumpere, ac destruere significat, per quod definiri potest: at verò Epitheta, vt ipsum nomen ostendit adiuncta quædam videntur, adiuncta verò siue adiecta minimè sunt intrinseca rei, propterea in accidentibus, siue accidentalibus tantum eorum natura versatur: adhibentur autem, vel propter Necessitatem, vel propter ornatum, vt est iam dictum de Metaphoris, quæcunque enim orationem componunt, vel Necessitati deseruiunt, vel ornatui, neutrum si efficiunt frustra, ac temerè inseruntur. Necessitati itaque inseruiunt si aliquid in re ostendant, quòd rei cui adijciuntur nomen haud significat, vel subobscurè, atque indeterminatè, ita vt audientis animus non possit rem adiuncto significatam absque Epitheto intelligere; quod tamen sit ad rei intellectio-

lectionem, de qua sermo habetur pernecessarium. Quod si rei nomen, significet accidens, & illius determinationem, vel frustra adhibetur Epithetum, vel ad ornatum; frustra quidem si nihil ad ea conducat quę dicuntur, ad ornatum verò, si vel Perspicuam orationem faciat, vel Suauem, vel Grauem. Verum haud parua hic suboritur dubitatio, intrinsecus enim Epithetorum finis esse videtur significatio accidentis in re aliqua, vel etiam determinatio illius; nam cum fletus interminatam illius actionis quantitatem significet, Epithetum illam circumscribit determinatą propterea dicitur ab optimo Poeta.

——Largosque effundere fletus.

Hoc idem efficit Metaphora, nam ipsa quoq; accidentia in re significat, ac determinationem quoque posse manifestum est, accidentia enim in rebus quarum propria sunt sub certa qualitate, & quantitate insunt, vt in homine risibilitas, in Sole lux, & huiusmodi, ab ijs igitur si nomen accipiatur, & accidens, & illius determinatio significari potest; propterea vbi Epithetum adiungi posset, Meta-

phoram adhiberi ſæpe videmus, cum enim potuiſſet Virgilius multas effundit lachrimas maluit.

——Humectat flumine vultum.

Flumine id oſtendens quod Epitheto quiuiſſet: quapropter cum idem fieri Metaphora poſſit, quæ breuior eſt, nam vno, eodemq́; nomine idem ſignificat, quod Epitheto non poteſt niſi duobus; & cum maximè ornet orationem; dubitandum videtur quam ob cauſam inſtitutus ſit Epithetorum vſus. Illud itaque manifeſtum eſt, non oportere ſemper vti metaphoris; nam obſcura nimis, atq; inintelligibilis euaderet oratio, ſed eas proprijs aſſuere; præſertim cum ea ſint propria, quæ ex ſe plurimum orationem exornent, vt nomina Grauia, & Suauia, his itaque Epithetorum vſus adhibetur ſi quid in illis ſignificandum ſit, quod ſolo rei nomine ſignificari non poſſit. Præterea quædam interdum accidentia Epitheta ſignificant quæ rei propria ſunt ad quæ ſignificanda ſi adſciſceretur Metaphora inelegans, atque inſulſa videatur, nam ab alia re duceretur cui non eſſet proprium

prium

prium illud accidens, vt si ad significandam in Leone fortitudinem ab alio animali nomen sumatur; quapropter illud accidens non potest metaphora rectè significari: quin accidit sæpe quædam significanda esse accidentia, quæ in re illa tantùm sunt, ac propterea nullam rem aliam in eo habeant similem cuius accipi, ac transferri nomen possit; præsertim si loci, ac temporis, & eiusmodi accidentia significanda sint; multæ enim affectiones exiguo tempore vel insunt, vel inesse opinio est, vel etiam persuadere contendit is qui loquitur; quæ Metaphora, iam dicta ratione, significari non possunt. Quapropter Epithetorum munus Metaphora subire semper nequit, ob idque eorum vsus est necessarius. Quoniam verò in re præter propriam essentiam omnes entitates significant, manifestum est ab omnibus prædicamentis duci posse; non modo enim quæ & formam insequuntur accidentia, & quæ materiam, & quæ compositum, sed extrinseca quoq; significari possunt; & ea omnia subire ornamenta; quæ alia quoque Verba, nam si proprium accidentis nomen

Epitheto significandum, ornamentum non est, Metaphoricum assumitur. nullum autem maius ornamentum videtur, quàm ne otiosum sit, ac superuacuum, nam de Achille dicere quod veloces habeat pedes, dum sermo habetur de ira illius, vel de Amore, sanè Græcum est. At si quis Perfectissimi Poetæ Epitheta animaduertat, qua ratione facienda sint, & eorum vsum facilè cognoscet.

De Continuatione Metaphoræ. Cap. XIX.

DE Similitudine, atque Epithetis diximus, tum quia sunt ipsa quoque ornamenta locutionis, tum quia magnam habent cum Metaphora Affinitatem. Quapropter vt de Translatione sermonem absoluamus, reliquum est de continuatione illius verba facere, nam & si id spectare videtur ad Compositionem verborum, tamen vt vnica tractatione id omne complectamur, quod Translationis est, haud omnino præter doctrinæ ordinem videtur quæ restant hic adiungere.

Sen-

Sententiam esse connexionem quandam prædicati cum subiecto superius diximus, satis autem constat posse utrunque metaphorico nomine significari; quid enim obstat quò minus qui de re aliqua loquuturus est, eam alieno vocet nomine? vel aliquid de illa dicturus, quod loco prædicati est; metaphorico nomine vtatur? Igitur accepto nomine translato ad subiectum significandum, an huic adijciendum sit prędicatum sibi congruens in propria significatione, quod erit metaphoricum respectu subiecti translatè significati; an uerò congruens subiecto propriè, & non metaphoricè sumpto, id in præsentia considerandum videtur: constat autem ea componenda esse Verba, quæ ad aliquam sententiam significandã sibi mutuo sint auxilio, ac propterea oportere subiectis prædicata esse congruentia, nam secus vel nihil eorum nexus significaret, vel nimia obscuritate ornamentum omne periret; si quis itaque subiectum accipiat Metaphoricè, adiungendum illi videtur prædicatũ huiusmodi quod actionem, vel passionem, aliquidue aliud significet illi rei conueniens à

qua Metaphora sumitur, & si propriè adiungi non potest subiecto metaphoricè significato; Accipiamus itaque Nauem pro humana vita, laudabilius atque ornatius dicemus, Huic Naui multos esse vitandos scopulos, vt portum subire possit incolumis, quàm illi multa esse vitanda pericula, vt felicitatem obtineat; nam & si felicitas est vitæ prædicatum congruens, quæ per Nauem significatur, haud tamen Naui consonat; propterea persistendum videtur in Metaphora etiam in prædicato, in quo tamen illud animaduertendum; ne Metaphorico nomini quod subiectum est, prædicatum adiungatur, minimè illi conueniens ea ratione propter quam sumptum est ad rem significandam Metaphoricè; hoc enim pacto prædicatum nihil in re significata ostenderet, & vim essentiamq́; Metaphoræ labefactaret; nam cum significet aliquid subiecto aduenies, vel inhærens, ostendet illud non esse accipiendum qua commune aliquid habet cum alia re; siue vt clarius dicam; rem a qua Metaphora ducitur non esse sumendam, vt aliquid commune habet cum re ad quam nomen tran-

transfertur, hac autem ratione similitudo tollitur, & Metaphora destruitur. Si quis igitur in exemplo Nauis dicat Nauem esse vas ligneum prædicatum adiunget, quod nihil in vita significat pro qua Nauis ponitur, ac ob id nomen illud esse Metaphoricè acceptum intelligi non potest: scopuli verò nomen cum Vitæ discrimina significare queat tanquàm congruens prædicatum non modo non aufert à subiecto Metaphoræ vim, sed qua ratione Nauis pro Vita accipiatur declarat. Hoc itaque est continuare Metaphoram de quo nobis institutus est sermo, eam autem, & ratione prædicta, & scriptorum nobilium auctoritate continuari posse facilè probatur; autē id omitti etiam possit, ita ut subiecto Metaphorico prædicatum addatur conueniens non rei à qua nomen sumitur, sed ad quam traducitur, diligenti indiget contemplatione. Prædicata itaque omnia, eiusdem esse generis non videntur, multa enim sunt quæ repugnant, ac de re aliqua prædicari non possunt; nonnulla quæ necessariò prædicantur; nonnulla verò quæ & prædicari, & non prædica-

ri possunt; propterea quædam Impossibilia vocantur, quædam Necessaria, quædam Possibilia siue Contingentia: Prædicatum itaque siue Necessarium, siue Possibile subiecto Metaphorico adiungere, haud absurdum est, de Impossibili dubium videtur; cùm enim subiecto repugnet in propria significatione, vt si quis Naui prædicta felicitatē assequi adiungat, propositio videtur perabsurda, ac intellectui permolesta; quod est contra ornamenti rationem. Quod si aliquis dicat huiusmodi prædicata occasionem præbere considerandi subiectum haud esse in propria significatione accipiendum: ita vt sit id quo Metaphora detegitur; hoc fortè aliquid rationis habet: Nam verè nullum Verbum per se Translati vim obtinet, propterea sine compositione aliorum enunciatum in propria significatione semper accipitur: verum per id quod simul ponitur transumptiuè sumendum esse cognoscitur: quod si Verba illi consona adiungantur quatenus proprium est, Metaphora latet; quemadmodum accidit in Allegoria, in qua cum omnia accommodētur subiecto, tan-

quàm

quàm in propria significatione accepto, licet Metaphoricè sumatur, Metaphora non cognoscitur, & omnia tanquàm propria accipiuntur; vt cuncta intelligerentur propriè quæ de Rosa Poetarum Princeps scribit, nisi quid sibi ea vellent duobus vltimis carminibus ostendisset.

Collige Virgo rosas flos nouus, & noua pubes;
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Cum itaque Metaphoræ tantum afferant orationi ornamentum, afferant autem dum cognoscuntur, cognosci verò minimè possint, nisi per compositionem quorundam Verborum, quę cum à propria significatione dissonent eas esse Metaphoras ostendunt; manifestum videtur subiecto Metaphorico posse adijci vel prædicatum, vel Epithetum, vel aliquid aliud in propria significatione repugnans, conueniens rei ad quam Translatio fit, imo id semper esse faciendum ad Metaphoram patefaciendam, Si oratio vna tantùm sententia constet: Verùm quia longa oratio complures habet sententias, quibus Metaphora in aliqua sententia in subiecto, & prædicato continuata detegi

detegi potest; absurdum non est subiecto Metaphorico coniungere prędicatum conueniens in propria significatione, quod & ipsum Metaphoricum erit respectu rei quàm subiectum Metaphoricè significat; idque ratione sententiæ adiacentis cognoscetur: quod omnino est necessarium, ne Metaphora fiat Allegoria, imo vt Metaphora sit, & qua talis cognoscatur. Verùm qualia hæc prædicata esse oporteat considerandum est; nam compluribus vitio verti videmus quædam Metaphoricis nominibus adiunxisse, quæ si vt metaphoricè accepta sumerentur, haud videri posset illaudabilis compositio; conueniunt enim ea quæ adiunguntur, rei ad quam Translatio fit, quare cum interdum huiusmodi Verborum compositiones vituperentur, quemadmodum Lodouicus Casteluitreus, Anibalem Carum facit longa oratione, vel potius accusatione, quæ sint commendabiles compositiones inquiramus. Cum in oratione pluribus conflata sententijs, una sententia alterius Metaphoricam significationem retegat, subiecto Metaphorico omnia in eadem sententia collo-

care

care quæ illi sint consoua ratione propriæ significationis pulcherrimum videtur, dummodo illa quæ sumuntur, rei significatæ Metaphoricè attribui poßint; nam nō modo rem similem inueniße, sed illius etiam actionem aliquam, paßionemuè; magnam affert audienti voluptatem; vt quę de Naui diximus, nam scopuli, portus, & ipsa nauigatio simillima sunt discriminibus Vitæ, beatitudini, atque operationibus quæ fiunt in vita mortali; propterea pulcherrimè, & si Nauis propria sunt, subiecto per translationem significato attribuuntur, & fit non vnius, sed multorum verborum translatio, & hoc pacto simplicis verbi Metaphora euadit in Translatam sententiam, quæ & ipsa ab affinitate similitudinis ducitur: quod si quis velit appositione verbi alicuius Metaphoricam significationem patefacere, videndum est quæ verba apponere eum oporteat, facilè autem hoc ex eo intelligitur, quod reprehendi solet, reprehenditur autem si dissonare inter se verba videantur, vt cum aliquid verbo Metaphorico attribuitur, quod ab eo in propria significatione abhorret;

bhorret;

bhorret; vt si Naui prædictæ dicamus vitandam esse Ciuium inuidiam, & Principis indignationem, verum si verba propriæ significationi congruentia coniunguntur Metaphora apparere non potest, nisi auxilio alterius sententiæ; nos autem loquimur quid faciendum sit ei, qui velit in eadem sententia aperire Metaphoram. Videntur itaque adhibenda verba, quæ Metaphorico nomini minimè repugnent, hoc enim maximè reprehenditur in huiusmodi compositione: Nam signum est Metaphoram rectè factam non esse, si enim conueniat rei ad quam nomen transfertur, repugnet autem rei à qua nomen sumitur, satis ostenditur non ratione similitudinis sermoni congruentis esse factam Metaphoram; vt si quis dicat Ignis mihi canendi cupiditatem iniecit, Ignem pro Amore accipiens; cuius cum non possit esse effectus canendi cupiditas in propria significatione, manifestum est Translationem esse ductam à re quidem simili Amoris aliqua ratione, non tamen illa qua Amor canendi cupiditatem facit; non enim ab omnibus rebus similibus semper duci Metaphora

taphora

taphora potest, sed ab ijs quæ similitudinem eam habent, cui non repugnet attribuere id quod est de re dicendum ad quam transferendum est nomen; quapropter cum Amori attribuenda sit cupiditas canendi tanquàm effectus, illum propter similitudinem quam habet cum Igne, Ignem appellare; absurda videtur Metaphora, & ab effectu predicando dissonans; quod si quis cautè Metaphoras efficiat inter ea scilicet quę similia sunt ratione dicendorum de re Metaphoricè significanda, etiam si Metaphorico nomine adiungantur ea quę conueniunt rei ad quam fit Translatio, commendabilis Metaphora fiet. Quæ autem dicta sunt de subiecto Metaphorico respectu prædicati proprij dici possunt de prædicato Metaphorico respectu subiecti proprij, non enim subiecto proprio Metaphorica nomina repugnantia loco prædicati adijcienda sunt; vt quisque facilè ex dictis intelligere potest; & quæ de Metaphoris diximus alijs quoque Verborum Affinitatibus possunt accommodari, nam neque ipsis repugnantia Verba annectere oportet: Verùm in his efficiendi ratio

longè

longè facilior est. Quod si quis de eo dubitet, quod à præclarissimo Vate dictum est.

—Cereremq; canistris expediunt.

Haud difficile est respondere, nam & si Ceres Dea canistris expediri non potest, ea tamen est quorundam Verborum ratio, vt in aliena sæpius, quàm in propria significatione accipiantur; quo fit vt illis prædicata, & affectiones rerum non sibi propriarum absque vlla aurium offensione attribuãtur, eiusmodi sunt Ceres, Baccus, Mars, quæ nomina ferè semper, & fruges siue Panem, Vinum, Bellumq; significant; qui usus frequẽs, ac ferè perpetuus vim verbo attribuit propriæ significationis.

De Verbis Antiquis, ac Recentioribus. Cap. XX.

CVM de Verborum Affinitatibus dictum sit, antequam ad Peregrina, vel Noua transeamus, quæ vltima debere esse loquentium subsidia diximus, de Antiquis, ac Recentioribus dicendum est; vt quod ab ijs & qua ratione auxilium petere possimus non lateat.

lateat. Quæ autem Antiqua appellare oporteat prius videamus. Nam si quæ iam pridem in censum alicuius linguæ venerunt Antiqua sint appellanda, verendum ne vniuersam linguam dicere Antiquam oporteat, Verisimile enim est ætate Augusti ad quem ab Vrbe condita septingentorum ferè annorum tempora fluxere, maiorem partem Latinorum Verborum quæ à principio Vrbis in vsu fuerant, tunc quoque in vsu fuisse, quapropter Antiqua ea essent appellanda, cumque hac temporis ratione, quo diuturnior est Vsus Antiquiora sint Verba, Cæsarem, ac Ciceronem Antiquè magis esse loquutos iure dicemus, quàm Plautum, aut Catonem; nam Vetustior erat horum tempestate lingua latina, quàm Plauti, Catonisuè. Hæc autem absurda videntur, quapropter alia ineunda est ratio Antiquitatis. Ea enim Verba Antiqua sunt, quæ Antiquata dicuntur, & quæ iam pridem vsus omisit: sunt autem magis, & minus Antiqui pro longitudine, ac breuitate temporis quo desueuerunt; ac propterea non idem est vsus omnium, vt dicam paulò pòst: primùm enim

dubi-

dubitandum videtur An ijs vti loquentem deceat: Nam res quæ habent ſua nomina eæ ſunt quas in orationem venire neceſſe eſt: cum enim omnibus nomen imponere longum ſit, ac difficile opus, ijs tantum attribuitur quibus indiget hominum vſus: Hinc fit, vt ſi exoleſcant, alia ſubeant vicem illorum in eadem lingua; & hæc Antiquandorum Verborum ratio videtur, in omni enim lingua vix nulla ætate deſunt qui rectè ſcribant, aut loquantur: hi vel Peregrina inducentes, vel effingentes Noua, vel alio quouis modo priſcorum nominum auctoritatem paulatim infirmant, ac labefactant donec ad interitum tandem perducant; id ſiue ab his fiat, ſiue à Populis, ſiue à Peregrinis, haud multum mihi laborandum videtur; ſatis illud eſt, quemadmodum vetuſta lex non niſi noua lege, vel conſuetudine antiquatur; ita non poſſe Verbum antiquari, atque exoleſcere quin ſubſtituatur nouum; nam res neceſſario appellanda eſt aliquo vocabulo, vt eam ſignificare homines poſſint, quemadmodum ipſa neceſſitas poſtulat, quæ à principio ei nomen imponere

coegit:

coegit: quod si rei memoria aboleatur, haud absurdum est, ita nomen quoque interire, vt neque ipsum, neque aliud vsurpetur. Cum autem rerum, quarum vsus indiget nunquam possit aboleri nomen quin substituatur aliud, omniaq; huiusmodi Antiqua Verba, recentiora habeant; haud immeritò dubitatur An sint adsciscenda Antiqua; nam cum ea spreuerit vsus, quisquis contra nititur, vel se stultum, vel illum ignarum fateatur oportet: Ignarum quidem vsum, vel potius illius aui homines, si optima Verba cum haberent ineptis commutauerint; se verò stultum, si cum in meliùs commutata sint, Antiqua ipse mordicus teneat: Ac verè ij qui Verborum Antiquitatem consectantur, non modo stultitiæ, sed etiam temeritatis crimine non vacant, nam id improbare, quod communis omnium vsus approbat, in eo præsertim cuius est vsus Iudex, id verò est se supra cæteros tollere, nisi quis ob eam rem faciat, vt pessimè loquatur: Verùm haud inutile videtur aperire causam cur nonnulli efformēt se, non ad Antiquos mores, quod maximè foret laudabile,

 sed

ſed ad Antiqua Verba; Accidit itaque interdum quosdam florere ſcriptores, quorum oratio ſit apud poſteros valde commendata, licet eorum ætas quædam Verba tulerit, quæ ſubſequens immutauerit; qui igitur horum ſibi laudem ſcribendo, loquendouè communicare volunt, eorundem emulari locutionem coguntur: quoniam vero ignorant ſtili rationem haud eſſe in ſola electione Verborum cõſtitutam, ſed multò magis, vt ſuo loco dicam, in vſu ſententiarum verborum, & vtrorumq́; compoſitione, in his minimè laborant, ſed Verbum ab illis tantum vſurpatum ſi in orationem adſciſcant, tunc demum ſe ad vnguem eorum ſtilum, ac loquendi, ſcribendiuè formam expreſſiſſe arbitrantur; nam verè nulla perfectior imitatio eſt, q̃ quæ exprimit propria rei cuius imitatio eſt: hi verò cum nihil aliud pruprij cognoſcant in illis ſcriptoribus præter verba quædam Antiqua, auidè illa arripiunt ſuam vt ornẽt locutionem; cum tamen illud eos nouiſſe oporteret ſcriptores illos minimè laudari ab vſu Verborum quæ reprobat preſens ætas; quis enim laudet quod ſper-

ſpernit, ac reÿcit? ſed ob alia multa in illis fortè pulcherrima, quæ ad ſtili rationem pertinent, & quæ ſi quis imitetur, quàm venatur laudem meritò conſequetur. Verùm haud ita Antiqua Verba odiſſe oportet, vt ab illis omnino abſtineamus, nam id neque irreprehenſibilis Poeta, neque optimus Orator Cicero fecerunt: quapropter & ſi parcè adhibenda, non prorſus tamen reÿcienda ſunt: quoniam verò primùm in oratione ſeruanda eſt intelligibilitas, ab ÿs cauendum, quę iam deſuetudine longa, obliuione intierierunt; & quoniam Antiqua ſunt illa quę in vſu ſermonis amplius non verſantur, ſcriptorum tantummodo authoritate eorum memoria ſuſtinetur; propterea ab illis accipi poſſunt: inter ſcriptores autem illi abſque dubio leguntur ſæpius, ac diligentius; quòd ad Elegantiam attinet, qui ornatiores, cultioresq; habentur; ſunt autem notiora Verba eorum, qui ſæpius leguntur; ab ÿs igitur verba antiqua ſumenda videntur; nam & nota ſunt magis, & quoniam nobiles ſcriptores electis tantum Verbis vtuntur, veriſimile eſt ea, quàmuis exoleta, illorum tem-

pestate nobilia fuisse, atque ornata. Recentiora verò dico, non pridem Ciuitate donata, ita vt eorum vsus, haud sit peræque vulgatus, ac cæterorum; sunt autem eorum quædam in vsu quorundam ex pop. non tamen authoritate scriptorum nota, quædam verò etiam literis commendata: Id autem vel à probatis Authoribus vel non; quæ igitur apud illaudatos inueniuntur ignota, vt plurimum sunt, & minimè laudata; quæ verò apud commendatos, & graues, nota & recepta videntur: nam vt de Verbis Nouis dicetur, hi sunt qui nouis verbis vitam tribuunt: quæ verò ab aliquibus tantum ex pop. vsurpantur notitiam effugiunt: quapropter cum sit notis Verbis quantum fieri potest vtendum; ea tantum ex Recentioribus videntur sumi posse cum laude, quæ apud probatos Authores reperiuntur.

De

De Verbis Peregrinis. Cap. XXI.

QVAE autem Verba Peregrina ſint primum videre oportet, haud enim eſt facilis iſta contemplatio ſic dicamus. Ciuis eſt Ciuitatis pars, Peregrinus verò minimè. Peregrina igitur Verba videntur quæ eius linguæ ad quam traducuntur non ſunt partes; nam hæc propria appellantur; ſunt autem partes alteriùs linguæ, nam quæ nullius linguæ exiſtunt, non ſunt Verba; tunc autem Peregrina vocantur cum in alienam linguam transferuntur; propterea multis linguis communia Verba Peregrina minimè appellantur; non enim ab alia petuntur. Non tamen omnia quæ ab aliena lingua ſumuntur Peregrina dicenda videntur, nam vt de lingua Itala taceam, quæ nunc viuit, quæ tota ferè latina eſt: num hoc Verbum Vinum Peregrinum latinæ linguæ appellabimus? quod tamen è Græca ſumptum eſt, vt alia fermè infinita, quibus ſi deſtituatur ægena erit, atque

omnino inops, imò ad patefaciendos animi sensus inepta, maior enim pars à Græca est, præsertim Dorica: quapropter maiori ex parte Peregrina lingua dicetur. Verùm Gazza, & Mapalia Peregrina vocantur, Vinum autem nullus vnquam dixit Peregrinum. Dicet autem aliquis omnia Verba Peregrina esse huiusmodi in initio, post autem diuturniorem vsum non ultra esse Peregrina; at Gazza, & Mapalia obstant, quæ quantumuis vsurpata Peregrina, tamen sunt, eruntque semper in lingua latina, Vinum autem nunquam habitum est Peregrinum: quapropter illud est in hac re animaduertendum quod modo dicetur; appellatur .n. Peregrinus, qui propria Ciuitate relicta in aliena commoratur, cuius non est pars. Quod si, vt mos fuit Romanis Colonia deducatur, & ex Ciuibus descriptis noua Ciuitas conflетur, non sunt hi Peregrini in ea Ciuitate appellandi, nam ipsi illam faciunt; pari ratione, si lingua ab alia ortum habeat, & omnia immutatione quadam ab illa Vocabula accipiat, hæc Peregrina dici non possunt, non enim veniunt in iam

con-

constitutam linguam, sed illam constituunt: constituta autem lingua si quod Verbum mutuo accipiatur ab aliena, illud Peregrinum est, nam ab aliena lingua in iam natam, adultamq; venit. Duplex autem hic oritur dubitatio; prima est: An sint Peregrina Verba, quæ à lingua constituente sumuntur, postquam lingua constituta est, vt si Cicero Verbum aliquod à Græca lingua accepisset. Altera verò hæc: Si constituere linguam, est Nomina illi exhibere quibus res significētur, qualibet autem lingua hoc præstet cum Verbum aliquod mutuo dat alienæ: cur non omnes linguæ constituentes dicuntur si non simpliciter, saltem quo ad illud Verbum, & propterea cur non Peregrini nomen amittunt, ita vt nullũ appellãdum sit Verbum Peregrinum? Nam si Vinum Græcũ quod est, Peregrinũ minimè vocatur, cur GazZa Peregrinum sit à Persis acceptum ad id significandũ quod significat? Ad primã dubitationẽ sic mihi uidetur esse respondendum. Postquàm lingua constituta est, alia existit à qualibet, & ab ea etiam à qua constituitur, nam si alia minimè

sit, noua lingua facta non est, quod supponimus: est autem Peregrinum omne Verbum ab aliena lingua sumptum: Igitur si constitutæ linguę à constituentibus Verbum aliquod accipiant illud Peregrinum videtur. Nam & Romani Ciues deducti in Coloniam Peregrini haud erant eius in qua deducebantur; verum si quis post Ciuitatem cōditam ab Vrbe ueniebat illius Colonię Ciuis minimè erat, qui autem Ciuis non est Peregrinus dicitur. Verùm dubitabit fortasse aliquis hac ratione. Romani in Coloniam ducti ad Ciuitatem nouam constituendam, mittebantur, igitur si longo etiam post tempore ad supplendum eorum numerum alios deligissent ex eadem Vrbe qui Ciues, vel à Colonis, vel ab ipsis Romanis facti fuissent: Peregrini non appellabantur, & si ab aliena Ciuitate veniebant, eadem ratione si in constitutam linguam ab aliena inuehe antur Vocabula, quæ illi deseruiant, & in societatem aliorum excipiantur, haud Peregrina esse videntur, nam & ipsa sunt partes linguæ illius, vt Ciues Ciuitatis. Hoc itaque uerum est, sed cum Verba in iam

con-

constitutam linguam ueniant à quacunque mutuò dentur, ea censentur Peregrina: quæ autem ab initio eam constituerunt siue ab vna, siue pluribus linguis acceperint, Peregrina non sunt; quis enim & si diuersorum locorum, Ciuitatumq; Romanæ Vrbis Peregrinos pastores illos appellet, qui Duce Romulo Ciuitatem condiderunt? Nec omnino cum Ciuibus Verborum ratio eadem est; nam illi si Ciuitate donentur, in qua Peregrini venerint Ciues sunt non post hac Peregrini, Verba autem, & si alienæ linguę inserantur, ita ut sit eorum vulgata significatio, & vsus frequens Peregrina tamen dicuntur, eo quod sero, & post linguę ortum adsciscantur. Non tamen est negandum tunc uerè, ac propriè esse Peregrina, cum primum ab aliena lingua sumuntur, nam post usum diuturnum nulla uidetur inter ea, & propria cuiusuis linguę differentia quod si Peregrina dicuntur id ob eam rem accidit quod aliquando Peregrina fuere. ex his facilè posterior dubitatio soluitur; nam si in ipsa linguę constitutione Verba accipiantur Peregrina minimè dicuntur,

tur, si uerò post linguam conditam, & si rerum uocabula desunt ad quę significanda traducuntur, Peregrina sunt ratione dicta, & pręsertim à principio, nam diuturnitate usus nomen tandem, ac speciem Peregrinitatis amittunt nisi quatenus à proprijs distinguntur. Nunc autem uidere oportet, An sit Peregrinorum Verborum usus recipiendus: cum enim lingua sua habeat Vocabula, ab omnibus cognita, atque intellecta, quę causa inuehit Peregrina nemini Perspecta? Verùm & si ipsa non cogit Necessitas (quæ tamen sępe cogit, quemadmodum in latina lingua uidemus, quę terminos ferè omnes Disciplinarum atque Artium à Gręca sumit, sicut etiam omnibus linguis accidit in ijs rebus, quę proprię alicuius gentis sunt: Militares enim terminos siue Nomina à Romana potius cęterę linguę accipiant, quam ipsa ab alijs (igitur & si ipsa non cogit Necessitas) ornatus tamen sępe suadet, qui Peregrina Verba earum quoque rerum significatiua sumit quarum nomina reperiuntur in propria; facit autem propterea quod attollere orationem, ac delectationē

affi-

afficere uidentur. Propterea Peregrinorum Verborum vsum, & necessitas exprimit, & ornatus persuadet: Videndum autem à quibus linguis accipienda sint. Hoc in primis animaduertendum, vt Intelligibilia uideantur quoad fieri potest, hac enim essentia est verborum omnium, & quoniam linguæ inter quæ tanta intercedit dissimilitudo, vt se inuicem non intelligant qui illas loquuntur, voces habent in intelligibiles satis constat ab ijs haud esse verba desumenda; quæ verò inter se quandam habent communionem, eo quod vocabulorum corpora haud valde sint discrepantia, sed tantùm aliquo accidente, hæ mutuo sibi dare possunt rerum Nomina: Quod si quis diuersarum omnino linguarum voces accipere velit, quæ auribus ad quas debet illas adhibere ignotissimæ accidant, primum quidem id sola necessitate faciendum est, tùm verò eas accipere oportet quæ minus à propriæ linguæ similitudine recedunt; quod si omnino ignotas sumere Necessitas cogat, cum præfatione, atque explicatione significationis accipere oportet, nam secus minimè intelligerentur:

tur: & quoniam ornatus Necessitatem excludit, ab ijs propter ornatum tantummodo, abstinendum esse videtur, nisi fortè postquàm penitus insederint in Ciuitate; cum enim ad intelligibilitatem eorum aliqua præfari oporteat, id fieri non potest absque ornatus detrimento; præsertim Grauitatis cui præcipuè inseruire debent; nam sicut rerum causam reddere multum videtur de Grauitate detrahere, pari ratione Verbi quod in oratione collocetur significationem ostendere plurimum officit Grauitati; propterea Verba Peregrina linguarum omnino ignotarum ad ornatum adhibenda esse minimè censendum est: Communicantium verò linguarum ea sunt accipienda ad ornatum quæ multum similia videntur, similia verò esse possunt ratione corporis, & inflexionis; & corporis quidem ratione syllabarum; faciliùs est autem reperire linguas, quæ corpore siue partibus illius sint similes, quàm ratione inflexionis; hanc enim vnaquæque lingua sibi propriam habet, propterea Affinitas videtur esse tantummodo ex parte communium syllabarum. Hæc igitur

& si

& si Peregrina simpliciter, & secundum totum corpus non videntur, huiusmodi tamen dicuntur quod ex aliena lingua transferantur. Nunc autem qua ratione ea transferenda sint, & alienæ linguæ inserenda dicamus. Est autem manifestum vnius locutionis, & linguæ orationem videri oportere, ne ex diuersis naturis conflatus quasi quidam Centaurus, aut Chimera videatur; propterea & si Peregrina Verborum corpora sumuntur, inflectenda sunt tamen in morem linguæ ad quam traducuntur, vt ne illa inflexionis Peregrinitas negotium auribus facessat, molestiamq; exhibeat: quod si non multum diuersa sit, aliaque sint in eadem lingua, eiusdem Peregrinæ inflexionis Verba iam recepta, & communi vsu firmata, haud erit absurdum non modo corpora, sed inflexionem quoque Peregrinam cōseruare, quemadmodum multa Græca, Græcè inflexit Poetarum Princeps. Quoniam verò communis obseruatio est, & præceptum, vt ad propriæ linguæ inflexionem cætera quoque accidentia accommodentur, dubitandum videtur, quæ futura sit ista Peregri-

regri-

regrinitas, cum & accidentia Peregrina minimè sint, corpus autem quo ad magnam sui partem, nec ipsum Peregrinum, nam sumenda esse propriorum Similia diximus. Hæc dubitatio, ni fallor, ostendit huiusmodi Peregrinitatem haud magni ornamenti esse: propterea id suspicari cogit, ex linguis Affinibus, eorumq; Populorum, quibus cum maximè commercia intercedunt, posse illa quoque sumi Vocabula, quæ cum proprijs nulla ratione communicent: hæc enim & simpliciter Peregrina sunt, & quoniam sæpe vtraque gens simul versatur, facilis est eorum intelligibilitas, quemadmodum Itali quibusdam præsertim in locis propter assiduum cum Hispanis vsum, quamuis non tàm affines linguæ eorum essent, Multa possent ab ea lingua Vocabula sumere, à Vocibus Italicæ linguæ omnino discrepantia, quæ tamen intelligerentur; propterea quòd ab Hispanis adhibita sæpius inter Italos, tandem innotuerunt: Verùm cui nam munus deducendi in alienam linguam Peregrina verba, & quasi Ciuitate donandi attribuemus? Dicamus sic. Loqui omnibus commune

mune est, propterea omnibus id licere videtur: & quidem quæ propter necessitatem transferuntur id omnino ab illis fit quibus necessaria sunt, vt sunt necessaria quæ ad Artes, Disciplinasuè pertinent, ijs qui illas decent: eorum autem quæ ad ornatum tantum, alia ratio videtur; nam cum propter necessitatem non traducantur, non omnibus facilè datur facultas, sed ijs ad quos spectat ornatè loqui; sunt autem præcipuè Oratores, Poetæ, Historici; propterea hi dum suo munere funguntur vti posse videntur Peregrinis Verbis, à quibus postea sumens pop. in communem vsum deducit, & propria quodammodo facit; non enim populo attribuendum est iudicium eligendi Verba aliena, præsertim quæ ad ornatum, sed Artificibus orationis ornatæ, quales prædicti sunt. & præterea populus non vnus homo est, nec vniuersus, ac totus simul Verbum aliquod Peregrinum sumit, sed vnus id potest ex populo; is autem si eo tantùm in voce vtatur, vt sæpe accidere potest, nec omnes id audiant, non facilè in vulgus prodit: quæ autem ab Oratoribus, vel Poetis, vel Histori-

ſtoricis fama, atque opere nobilibus ſcriptis commendantur, ſæpè leguntur, & à pluribus, propterea in vſum facilè deducuntur. Hæc de Peregrinitate Verborum quo ad corpus, nunc de Peregrinitate ſignificationis: Nam ſicut ad ea aliquid ſignificandum Peregrinis vtimur vocibus eadem ratione aliquando conſueuerunt ſcriptores propria Vocabula, Peregrina ſignificatione afficere; vt de illo dixerunt Grammatici, quod eſt apud maximum Poetarum: Nos patriam fugimus. Fugere enim ſignificat exulari quæ ſignificatio in latina lingua Peregrina eſt à Græco vocabulo accepta. Eadem itaque in hac Peregrinitate ſeruanda videntur, quæ de alia iam diximus; nam cum debeat eſſe intelligibilis à linguis notis ducenda eſt: cum tamen hæc Peregrinitatis ratio magis obſcura ſit cautiùs adhibenda eſt. Quod autem ſit obſcurior ea cauſa videour: Quod adhibitis Peregrinis Verborum corporibus ab auditoribusq; perceptis ad eorũ ſignificationem in lingua Peregrina ſtatim animus excurrit, ac facilè inuenit, ſi ea Verba ſumantur quæ præcepimus: verùm audito

Verbo

Verbo propriæ linguę ad significationem eiusdem linguæ animus properat, quæ nisi consonet fortè ad Peregrinam se transfert; verum cum nullam habeat cum corporibus Verborũ illius linguæ similitudinem; cuius Verbi Peregrini significationẽ accipere oporteat haud facilè conijcit, neque id ulla ratione assequitur; nisi magnam habeat alienæ linguæ cognitionem. Ob hanc itaque causam obscurior est significatio Peregrina, quam Verbum Peregrinum: propterea, & à maximè notis linguis eam accipere oportet, & eorum præcipuè Verborum, quæ sint Verbi propriæ linguæ similia; hac enim ratione facilè animus significationis admonetur. Aduersus hæc cum fecerint, qui ab Hæbrea lingua translationes elaborauerunt, Hæbreasq; significationes latinis vocibus attribuerunt, non ægrè tulisse eos decebat ab eius tempestatis viris esse reprehensos.

Diuiſio verborum nouorum. Cap. XXII.

DEVENTVM eſt ad vltimum ſubſidium ornandorum Verborum, nam ſi quando accidat verbo minus ornato vtendũ eſſe; primum ad Affinitates confugiendum eſt; tum ad Antiqua, & Recentiora; quæ niſi ſatisfaciant Peregrina adhibeantur; poſtremo loco Nouorum effictio eſt. Cum autem ſatis, vti ego exiſtimo, de Affinitatibus, de Antiquis, & Recentioribus, ac denique de Peregrinis dictum ſit, reliquum videtur de nouis habere ſermonem. Quoniam verò multa eſſe videntur genera eorum; primum quæ illa ſint reperire oportet. Sic dicamus. Verbum eſt totum quoddam partes ſuas habens, & accidentia: ſunt autem accidentia longitudo, & breuitas temporis, & præterea Accentus; vt accuratiorem huius rei contemplationem Grammaticæ Arti relinquamus. Poteſt itaque eſſe Nouũ totum: ita vt nulla eius pars prius extiterit; eritq; effectio eius ueluti gene-

generatio, quæ est ad esse simpliciter: Vel esse esse Nouum, eo quod Noui aliquid in illo fiat, siue ratione partium, siue accidentium. Ratione partium quidem si quæ addantur, vel subtrahantur, vel ordo immutetur: Nouæ addi possunt, quæ vel syllabæ sint, vel elementa nihilq; significent; vel Voces, quæ Compositio dicitur. Potest autem fieri hæc additio, quæ est iam geniti Verbi velut à agumentum, Vocis quidem ante Verbum, & post Verbum; syllabarum verò, ac elementorum, vel in Verbi principio, vel fine, vel medio, vel in omnibus, vel aliquibus. Subtractione autem Nouitas est si pars aliqua tollatur, vel in principio, vel fine, vel medio, vel aliquibus horum, vel omnibus. Immutatione ordinis, ac dispositionis; si quæ pars prior est, posterior fiat, vel è contra: quin & alia syllabarum, vel elementorum esse mutatio potest, secundum scilicet substantiam, si vna tollatur cuius loco reponatur alia. Denique innouantur Verba ratione accidentium, quæ sunt. Tempus, & Accentus, ratione quidem temporis, si quod longum est, breue fiat, vel è conuerso vna-

quæque enim Verborum pars, vel syllaba, longa est, vel breuis: ratione accentus, vel si ipse mutetur ita vt qui accentus est, grauis fiat, & huiusmodi, vel si transferatur ab vna syllaba ad aliam. Hæ igitur sunt Nouorum Verborum species. Nouum simpliciter, Auctum per adiectionem Vocis ante, vel post; per adiectionem vnius, vel plurium syllabarum, vel elementorum in initio, vel medio, vel fine; vel in horum pluribus, vel omnibus: Per immutationem vnius, vel plurium syllabarum, elementorumuè, Per subtractionem partium dictarum. Per mutationem dispositionis partium. Per immutationem temporis, & Accentus.

De Verbis Nouis simpliciter. Cap. XXIII.

DE *Verbis autem simpliciter Nouis primum esse quærendum videtur An effingenda sint; nam si de lingua loquamur, quę sit paulò antè condita, haud videtur absurdũ cum adolescat quotidie Noua effingere; multis enim*

enim caret omnino necessarijs. Verùm si de linguis sermo sit, quæ iam adoleuerint, quasq; verisimile est habere omnia necessaria nomina, cur in ea nouarum vocum effectionem cõcedamus? quæ quin aliquam habeant obscuritatem vix fieri potest. ordiamur hinc. Res ad quarum significationẽ nomina instituuntur, adeo multæ sunt, vt longè earum numerus cuius vis linguæ Vocabula superet. Huius ea ratio est: quod rebus imponi nomina minimè possunt, nisi cognoscantur, cognosci autem res omnes, haud facilè est, difficilè etiam cognitis apta nomina inuenire. Alia quoque ratio: Nam accidit Gentem illam cuius aliqua lingua est ita esse affectam, vt quadam non tractet, ac propterea de illis orationem minimè habeat, nec vocabula vnquam illis indiderit: Accipe gentem imbellem, ociosamq; hæc Militiam cum neque attigerit vnquam, neque viderit, cur voces inueniat quibus ea quæ ad bellandum, exercendamuè Militarem Artem pertinent appellentur? Incivilis autem, & Barbara, quæ nullo nisi temerè Principatu regatur, reiq; publicæ tempe-

rationem ignoret, Ciuilium omnium rerum nominibus carebit: quæ vero bellando vitam transigunt, nullamq; gerunt disciplinarum curam, quo pacto multa, atque adeo infinita Vocabula teneant, quæ ab iis tantum, & reperiuntur, & vsurpantur qui disciplinis operam nauant? Multa igitur desunt in qualibet lingua rerum nomina, quæ si procudantur, haud parua his habenda est gratia qui in eo labore impendunt; quo.n.plura vocabula sunt, eo de pluribus rebus haberi potest commodius oratio; nam & si multoties nominibus repertis vtimur, vbi nomen deest; iam omnibus notum est hinc existere æquiuocationes, ex quibus maxima in oratione oriatur obscuritas: propterea lõgè melius esset omnibus adesse rebus nomina; quæ si desint necessitas cogit sæpenumero Noua facere si nullum ex inuentis, vel etiam Peregrinis commodè adhiberi posse videatur: quod si possit, propter ornatum tamen Noua fiunt interdum, & facienda sunt: propterea quod Nouitas animum oblectat. Necessitate igitur, & ornatus causa noua imponuntur aliquando rebus nomina: ve-

rum

rum id quibus in linguis faciendum sit animaduertere oportet: Duo itaque sunt genera linguarum: Aliæ.n.viuunt, ac vigent, Aliæ iam interire: Dico eam viuere, quæ vulgò apud gentem aliquam in vsu est, quamque Mulieres, Indoctiq; loquuntur, & quam ab vberibus matris lacte suxisse pueri videntur: Huiusmodi est apud nos Itala, Hyspana apud Hyspanos, & aliæ propemodum infinitæ quibus populi vtuntur innumeri. Mortuam verò eam appello, quæ gentis alicuius quondam fuit, quæ gens omnino extincta est, cuius lingua in libris tantùm reperitur; talis est Habrea, Græca, Latina, & harum similes: Loquamur primùm de ijs quæ viuunt: in his autem haud magna videtur esse difficultas, nam cum viuant, & vulgo ab aliqua gente vsurpentur; inter loquentes, sicuti iam de alijs inuentis nominibus factum est, conuenire potest, vt id quod de nouo reperitur, sit illius rei significatiuum propter quàm repertũ est: omnino enim omnia linguarum nomina Noua aliquando fuerunt; igitur eadem ratione qua inter se consenserunt quando alia effecta

 sunt,

sunt, vt illa ponerentur in vsu; Noua quoque si effingantur quotidie, ea recipere eius linguę homines possunt, & comprobare debent, si recta ratione sint facta: cur enim magis praeterita comprobarint Antiqui, postquàm reperta sunt, quàm Noua praesentes? cum haec sicut illa vel Necessitas expresserit, vel ornatus: quare si illa iam vsurpantur, quae aliquando noua fuerunt, nulla ratio videtur, si Noua rectè imponantur non debere ab omnibus recipi, nisi quis fortè dicat esse linguis quemadmodum rebus naturalibus certos magnitudinis fines, qui praeteriri non possint: Hoc autē fortasse verum esset si ad eam Vocabulorū numerum vnquam linguae peruenirent, quo res omnes significarentur, ita vt singulis sua essent imposita nomina; verum id iam diximus esse per arduum, propterea longe diuersa ratio est. Quapropter qui putant dum lingua viuit ad suae perfectionis culmen euasisse, ac ob eam rem inuentis tantùm vocibus utendū, non inuenienda Noua, hi tueri sententiam si velint, necesse est ostendere omnibus rebus propria respondere nomina; quod si fecerint

satisfa-

satisfactum esse necessitati ostenderint, ornatui autem non ita vi ab inuentione Nouorum Nominum abstinendum uideatur. Nunc autem de Mortuis linguis; Satis constat unamquanque linguam eius gentis esse apud quam naturaliter in usu est; nostra enim lingua, Italica est, non Latina, aut Græca, & quicunque illa utuntur, ex alijs gentibus; utuntur quatenus est apud nos in usu naturali; quod si lingua defecerit, ita ut naturaliter nullibi uigeat, quemadmodum hæ, quas mortuas appellamus; quicunque illa utitur, non utitur qua in usu est, cum interierit: sed qua fuit dum uigebat: propterea talem esse usum oportet qualis fuit; ille enim latinè loqui demum dicitur, qui ita loquitur, ut latini loquebantur; quod si quid addere linguæ uelit, & Noua excudere uocabula, latinè minimè loquetur; nam ut Hyspanicè loqui est eas usurpare uoces, quas Hyspani nostra tempestate usurpant, ita latinè is loquitur, qui ijs utitur rerum nominibus, quæ à Latinis recepta sunt: quapropter si quis post eius linguæ occasum Nouas illi addere uoces contendat frustra latinas

tinas appellabit, cum fuerint nunquam à latinis usurpatæ; nam & si inflexionem, aliauè latina accidentia habeant, haud tamen sunt latinæ appellandę, cum apud latinos nunquã in usu fuerint. Idem autem in qualibet lingua accidit; si quis enim ad Italicarum Vocum similitudinem aliquam effingat, haud eam statim Italicam appellabimus, non enim facit Natura uoces significantes, & Verba, sed ipse gentium consensus; quare in ea debet consentire pop: cuius futura sunt, & illis uti: propterea cum fuerint communi sermone in usu posita, tunc eius populi iure dicentur, si illius tantum sint; facit autem potius usus accidentia, (nam qualibet lingua suas habet affectiones proprias) quam accidentia usum; propterea non simul ac Verbum aliquod accidentia alicuius linguæ induit, inter linguæ illius Verba censetur, possunt enim omnibus Verbis accommodari; est autem usus qui id iuris habet, & populorum consensus: cum itaque interierit omnis, ac penitus delecta sit gens uniuersa quæ lingua aliqua utebatur, Nouis uocibus pręstare consensum non potest,

ac

ac propterea Noua huiusmodi linguis Vocabula adijci nequeunt, & qui illis linguis vti volunt repertas iam voces adhibeant, easq́; ab illarum scriptoribus accipiant necesse est; nam videtur sanè ridiculum voces eas æstimare latinas, quæ nunquam sunt à latinis adhibitę, quasq́; si latini reuiuiscant, minimè intelligant: ob eamq́; rem facilè inter illas ferri sententia potest, quæ vberior sit, ac magis ampla, cum ad consistentiam peruenerint; viuæ autem cum indies augeri queant, haud facilè iudicium admittunt, nisi in præsenti, dicere enim Italicam latina esse pauperiorem, vt nunc est, fortè de ea dici potest; at ex sua natura huiusmodi esse, semperq́; ob eam rem futuram pauperiorem, id verò nullam habet necessitatem; nam cum lingua omnis tàm latum habeat incrementi campum, quàm magna est rerum multitudo; semper ad interitum vsque vberior fieri potest, & Vocabulis copiosior, propterea sunt ridiculi, qui in linguis huiusmodi fines ita præscribunt, vt Noua Vocabula minimè esse facienda contendant: longè autem absurdiores, qui si quasdam vo-

ces

ces vsus admiserit, adhiberi minimè posse censeant, eo quod apud antiquos eius linguæ probatosq́; Authores non reperiantur; hi enim viuentibus linguis ad incrementum viam præcludunt. Non tamen hic illud omittẽdum, meliùs esse interdum quæ ab Antiquioribus adhibita sunt Vocabula sibi accipere, quam quæ recens, vel posterior ętas admiserit: Accipiamus enim Ciceronis, ac Cæsaris ætatem, eamq; cum Senecæ, Taciti, & Plinij ætate conferamus, nullus est, vt arbitror, qui non hos fecisse consultiùs existimet si à recentioribus abstinentes, superioris ætatis Verba sumpsissent; non quod absurdum sit Noua procudere, sed quod meliora illa sunt, quàm quæ posterior ætas inuenit: Hoc enim ei considerandum est, qui vult ornatè loqui, vt Verbis pulchrioribus, melioribusq́; vtatur, hæc autem verisimilius est ab ea ætate, virisq́; reperiri, qui eloquentiæ operam nauarunt, quosq́; maximi ingenij in ea re fuisse manifestum est. Huiusmodi cum neque habeatur, nec haberi possit Ioannes Boccaccius, qua ratione ex nostris nonnulli pertinacius contendant, ijs qui ele-

eleganter Italicè scribere, aut loqui cupiant eum esse imitandum, haud facilè intelligi potest; nam quod attinet ad vsum sententiarum adeo humilis, atque abiectus est, vt me illius sæpe pudeat; compositio earum haud cōmendabilior. Compositio Verborum miseranda; Verborum quibus vtitur multa posterior ętas, & nostra antiquauit, quæ cum doctrina magis floreat, non absque ratione illa improbasse censenda est: quapropter si quis illa vsurpet irrisiouem potius, quàm laudem meritò consequetur. Verùm quid miremur hunc Authorem à nonnullis commendari; cum adeo perditi, ac profligati iudicij complures reperiantur ex Grammaticis nostræ tempestatis, vt publicè ab ijs Ludouicus Viues adolescentulis legatur, à quo cognitionem adipiscantur? Alia ratio est Francisci Petrarcæ, is enim est cui parem in Elocutionis gloria, nec posterior ætas tulerit, nec inuidenda sit nobis Græcorum, Latinorumuè in eo genere laus. In viuis itaque linguis Verba noua inuenire fas est in mortuis verò non licet. Suboritur tamen quædam non leuis dubitatio:

est

est enim manifestum nullam esse tàm vberem linguam, quæ rebus omnibus nomina indiderit, cum & res ipsæ interdum nouæ sint; quot enim recentiores ætates inuenere, quæ sunt ignota Vetustioribus? Si quis itaque linguam mortuam loquatur, & in ea incidat quæ nomine carent, quid faciendum? Confugiendum, arbitror, ad Affinitates, de quibus diximus; ita vt si Verbum proprium desit sumatur rei Affinis Nomen; si autem noua sit omnino res appellanda, nullaq; cum cæteris rebus videatur habere Affinitatem idoneam Peregrina adhibenda sunt, sumendaq́; nomina recentiora rerum earum: Verùm hic alia oritur dubitatio; quæret enim aliquis à qua lingua sumere ista nomina oporteat. Dicendum est itaque; si illa lingua ortum habeat ab alia in qua sit nomen quod quæritur, ab ea esse sumendum; ita vt si quid in lingua latina nomine careat, quod in Græca nomen habeat, illud sit Græco nomine appellandum: nam cum in cæteris vocibus ita fecisse latinos videamus, verisimile est idem hoc eos fuisse facturos; si autem in Græca non sit, vel res il-

la

la in aliqua lingua nomen habet, vel non; ſi non habet omnino procudendum eſt Nouum latinis accidentibus; ſi autem nomen habeat in alijs linguis, id, vel eſt vnum, & commune omnibus, vel diuerſum ſingulis: accidit enim quædam apud gentem aliquam primũ reperiri, ab eaque primum nomine appellari, illudq; nomen cum re ad alias gentes diffundi; tunc autem eo nomine vti oportet etiam in mortua lingua, nam ab omnibus intelligetur: ſi autem non vnum ſit commune omnibus, ſed ſingulis diuerſum, id maiorem habet dubitationem, ac difficultatem, nam Hyſpanis ſuum veluti Peregrinum in latinam linguam ſi inducere debere exiſtimabunt; non minus Itali ſuum, itemque cæteræ omnes gentes: manifeſtum quidem eſt verba adhiberi, vt intelligantur, propterea uidetur adhibendum quod notius eſt; ſi igitur ſit unum notius, & magis commune, illud accipiendum, ſi autem vnum quodque vnius linguæ finibus coerceatur, ita vt apud unam tantum gentem cognitum ſit; videndum eſt ad quos ſcribat quis, aut loquatur; nam eo uti oportet quod eſt no-

tum

tum ijs à quibus debet intelligi: quicunque autem ſcribit, pulchrum aliquid, atque utile ſcribere debet; vtilem verò eſſe Ciuem primum ſuis Ciuibus decet, quare, niſi quid aliud obſtet quæ ſcribuntur Ciuibus ſuis ſcribenda ſunt; proprio itaque Vocabulo, quod linguæ mortuæ deeſt vſurpare eum oportet; nam ea ratione à ſuis Ciuibus intelligetur, & opus ſi ad alienas gentes peruenerit, eius linguæ, vt in ſe eſt fines proferet, quod populis glorioſum eſt adeo, vt ad Ciceronem Cæſar in lib. de Analogia Verborum ſcripſerit, non minus Populum Romanum Ciceroni debere, quàm maximis Imperatoribus; non minus enim eſſe glorioſum Populo Romano linguam prolataſſe, quàm Imperiũ protuliſſe. Dictum eſt itaque, An fieri debeant Noua Verba, & quibus in linguis; reliquum eſt perſcrutari qua ratione, & à quo. Ratio à fine ſumenda; eſt autem omnium Verborum finis Intelligi, vel ſignificare, propterea oportet omnia eſſe intelligibilia, quare ſi Noua omnino facienda ſint; videndum eſt ut ea ſint rebus quàm maximè conſona, & accidentia illis adiun-

gantur

gantur Vocabulorum quæ sunt propria illius linguæ, hęc enim Nouas uoces gratas auribus, & non omnino ignotas faciunt propter similitudinem: eligenda autem accidentia pulchriorum, nam quę effingenda sunt, ea quantum fieri potest perfecta facere conuenit: quapropter, si præter intelligibilitatem adiungi ornatus potest, id conandum est; ita vt auribus dulcia accidant, quæ rebus suauibus imponuntur; grauia uerò quæ grauibus. Qui autem hęc facere nouit, is est qui & rerum naturam, & ornamentorum cognitionem habeat: propterea in sua Arte cuilibet ornatè loquenti, & Oratoribus, & Poetis, & Historicis, tanquam in ciuilibus actionibus maximè versatis, eademq; ratione Philosophis actiuis, speculatiuisq; Noua precudere Vocabula permittitur: quæ tum demum in linguam adscita dicentur, cum ea populus comprobauerit, vsus acceperit, & vulgo ab omnibus intelligentur.

De Cæteris Speciebus verborum Nouorum. Cap. XXIIII.

CAETERAE *autem Verborum Nouorum species, faciliùs intelliguntur, parum enim habent Nouitatis, propterea non modo Nouis simpliciter, sed etiam Peregrinis anteferenda sunt ratione facilioris, notiorisq; significationis; ac innouata potius quàm Noua dicenda esse videntur: Verùm quod attinet ad eam speciem, quę per additionem Vocis significatiuę fit, ideſt per Compoſitionem; eam pari felicitate ab omnibus linguis non adhiberi satis patet; hac enim in re Gręci felicissimi sunt, & non temerè audaces; parcior Romana lingua, atque modeſtior. Fit autem, ad significandum res duas simul esse, uel unā alteri inesse, quod quoniam fieri quoq; à Metaphora diximus, quę pulcherrimum eſt ornamentum, omnibusq; linguis commune, abſtinendum eſt à Compoſitione quoties idem poteſt translatiuè significari; multo enim hęc iucundior accidit, propter cognitionem quę simili-*

ſimilitudine rerum acquiritur: Compoſitio verò cum facilis ſit omnibus haud multum videtur habere ingenij, aut ſolertiæ, propterea nihil prodeſt ad grauitatem efficiendam, quæ magna, & noua, & ſupra vulgarem ſenſum poſita ſibi poſtulat. Species, quæ fit per immutationem ſyllabarum eam complectitur quàm alij vocant per deriuationem; quoniam Verbum ab alio fit paucis quibusdam immutatis. Reliquæ ſpecies nihil habent noſtra diligentia dignum cum multa ſint ab alijs dicta percommodè, quæ qui videre cupit, facilè poteſt.

De Compoſitione verborum. Cap. XXV.

O*RNAMENTA quibus affici poteſt oratio diligenti, atque laudabili Verborum delectu, hæc ſunt, quæ diximus: reliquum eſt vt de his agamus, quæ à Verborum Compoſitione, ſiue ſtructura oriuntur; qua in re, cum & ipſa ſit magni ponderis ad ornandam orationem; multaq; habeat non indigna*

cognitione, diligens adhibendus est labor; in hac enim præcipuè magnam sibi eloquens laudem comparatur; nam si quando Verbum incultum orationi inseratur, ita excolitur, atque expolitur si rectè collocetur, vt maximè commendabile videatur. Id facilè quisque intelliget, si Oratorum, Poetarumuè, quos admiramur Verborum structuram dissoluat singula Verba perpendens; multa enim reperiet, quæ haud facilè probasset; cum tamen virtute Compositionis pulcherrima videantur. Igitur in hac quoque prædicta ornamenta quærere oportet Perspicuitatem, Suauitatem, Grauitatem. Est autem ad ea quæ dicenda sunt maximè vtile illud prius videre ob quam causam Verba simul componantur. Nam ad significandas res Nomina instituuntur, has autem etiam seiuncta, & ab alijs diuisa significant, nam vnaquæque res ita significanda est, vt est, est autem vnaquæq; vna, vnum autem est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: propterea cum quælibet res vna sit, ab alijsq; diuisa, proprio nomine ab alijs omnibus diuiso significari posse, &

omnis

omnis Verborum Compositio superuacanea videtur. Verùm non ad significandas res primo, ac per se, oratio nobis à Natura tributa est, sed ad patefaciendos animi sensus: sunt autem hi notiones quas de rebus concipimus: quoniam verò res, & si vnum quid singulæ sunt, multas tamen alias adiunctas habent, fit ex eo, vt nos illas sæpenumero non singulas apprehendamus, & simplices, vt loqui dicunt, sed complexas: quæ notio Nomine constat, & Verbo, quàm nos sententiam paulò antè appellauimus: ita vt Compositio Verborum ad significandas sententias instituta sit; perfectaq; tunc, & absoluta dicatur, cum sententiam complectitur; est autem sententia non vnum Verbum, sed vnum quid ex pluribus conflatum, non enim omne quod est vnum, est vnum simplex.

De Perspicuitate Compositionis. Cap. XXVI.

PERSPICVA *Compositio est, quæ facilè intelligitur, intelligitur autem cùm*

in ea ſunt adeo compoſita Verba, vt ſibi mutuo deſeruiunt ad intelligibilitatem; hoc eſt ad ſignificandam ſententiam: ſunt autem in ſententia ſubiectum, & prædicatum, & ſæpe copula verbalis, hæc igitur tria cum ſint perfectæ Compoſitionis partes, mutuam ſibi operam ad ſignificationem preſtare oportet; id autem nequeunt, niſi ad inuicem iuxta ſint poſita, & quaſi cohereant: ita vt quemadmodum vnum ſignificant, ita videantur Compoſitione vnum: quod ſi longè diſiungantur, diuellanturq́; difficilis euadit intelligentia; nam intellectus aliorum interpoſitione Verborum defatigatur, & cum ad aliam partem, quæ coherere debuerat peruenerit prioris ferè oblitus eſt, vel ab ijs quæ interpoſita ſunt alio conuerſus ægrè, ac ſero ad ea connectenda conuertitur, quæ ſunt ſeparata, atque diuulſa: quapropter multum ad Perſpicuitatem cõfert hæc tria, vel ſi copula deſit, prædicatum, & ſubiectum coniungere absque vlla aliorum Verborum interpoſitione quin ſubiectum, prędicatumuè amplificare minimè oportet, amplificatur quoties multa ſubiecta ponuntur, vel

vel multa ad illud ſpectantia cum illo iunguntur, quæ omnia loco ſubiecti ſe habent, vel ſimplici poſito ſubiecto multa afferuntur prædicata, uel unum prædicatum, nõ uno Verbo, ſed pluribus enunciatur; hæc.n.omnia multiplicitate ſua, ita uim intelligendi obruunt, ut nec intelligantur niſi ſumma difficultate, nec niſi magno labore memoria retineantur. Huiuſmodi autẽ ſubiecto, ac prædicato acceptis, diſpoſitio eorum conſeruanda eſt; nam & hoc plurimum iuuat intelligentiam; in hac uerò vſum ſequi oportet, ita vt ſic diſponantur, quemadmodum omnes vulgo conſueuerunt: quod ſi locutio illa in vſu minimè ſit, rei naturam ſequamur; quæ quidẽ niſi repugnet uſus, vel ornatus poſtulet, in omni Verborũ diſpoſitione ſeruanda eſt: poſtulat autem rerũ Natura, ut primo loco ſubiectũ ſtatuatur, tũ verò copula, vltimum verò adiungatur prædicatũ.

De Suauitate Compoſitionis. Cap. XXVII.

IN hoc ornamenti genere verum eſt, quod vulgo iactatur ſuperbiſſimum eſſe aurium

iudicium; nam quod ad suauitatem significationis Verborum spectat dictum est in sententijs, nunc autem vniuersa Cōpositionis voluptas in aurium delinitione constituta est, quorum tantummodo est iudicium. Vnusquisque autem sensus de suo solum obiecto iudicat, est autem aurium obiectum sonus, in sono igitur Compositionis Verborum Suauitas uersatur; quare ex dulcibus Verbis, ac Suauibus conflari debet oratio suauis. Hoc tamen non est Virtus Cōpositionis, sed vt in singulis Verbis elementa dulcia, & Suauia aptè simul composita dulce faciunt Verbum; quod minimè facerent si secus disponerentur, uel si alia essent elemēta, ita in Compositione Verborum, necesse est vt simul componantur quę faciunt Suauitatem; in hoc autem præcipuum est, ut primum elementum subsequentis Verbi suauiter cū estremo præcedentis conueniat, ita vt suauiter consequens subeat antecedens, & absque aurium offensione; nam & si Verba diuisa sunt, in oratione tamen dum efferuntur, ferè coniuncta videntur; quàm iuncturam suauē esse oportet: ab ea igitur Arte quæ elementa Vocū considerat,

rat, naturam, qualitatemq; eorum nosse oportet; & quoniam plurimũ est hominum Natura varietatis cupida, eaq; summoperè delectatur; cauendum est ne elementa eiusdem soni simul componantur, maxima.n.id afficit satietate: Quoniam uerò etsi componuntur Verba, & quasi iunguntur, non tamen perpetua, & sine aliqua interruptione oratio est; id.n neq; is qui loquitur, neq; is qui audit pateretur; in quędam membra necessariò diuiditur; sunt autem ista membra partes periodorũ, quas esse suaues prędicta coniunctione Verborũ oportet: & quoniam non modo de qualitate soni aures iudicant, sed etiã de magnitudine non intensiua tantùm, sed etiam extensiua, & pro illius conditione delectantur, uel molestia afficiuntur: huiusmodi mẽbra, neq; ita longa efficienda sunt, ut exhauriatur dicentis spiritus, & exuberanti magnitudine repleãtur aures audientis: neq; tãtùm deesse quantitati vt trunca membra uideantur, hoc.n.ita fallit aures paratas ad audiendum, ut uehementer ea breuitate contristentur. Verùm nobis uidetur parum ijs esse immorandum, quę ab alijs tradita

sunt

ſunt diligenter, nam quę apud eos legere eſt ſi repeterentur hoc loco, & nobis, & legentibus negotium faceßerent: noui autem quod afferamus nihil eſt, quod huius laboris proprium ſit: Nam de ſuaui Verborũ Compoſitione, ſiue de numero oratorio, ab hoc.n.vniuerſa Compoſitionis Verborum delectatio exiſtit; haud poteſt rectè iudicari, vel abſoluta, perfectaq́; eius cognitio haberi, niſi altiora repetantur. Cum enim aurium ſit iſta delectatio; ſit autẽ ſonus id, quod ab auribus excipitur, neceſſe eſt oratorium numerum eſſe ſonum quendã, vel aliquid à ſono ortum habens: parit autem delectationem obiectum ſub ratione perfecti, ut in Speculatiua Philoſophia dicetur, non enim omne obiectum ſuã facultatẽ uoluptate afficit, ſed perfectũ eſt aũt ſonus perfectus id quod appellatur Harmonia, quæ eſt perfectũ audibile, ut Pulchritudo perfectũ viſibile, nam propter nobilitatem hi tantum duo ſenſus ſuorũ perfectorum obiectorum nomen habent; perfectũ autem & ſummum in unoquoq́; genere eſt cauſa cęterorum: Harmonia igitur eſt cauſa omnium perfectionum in ſono, ac delectationum

quæ

quæ ab illo ſunt: Vtile igitur eſſet videre quid habeat oratorius numerus ab Harmonia, propter quod oblectandi aptitudinē, facultatemq́; induat; hac enim ratione facilè cognoſci poſſet quę ſint adhibenda ad numerum delectabilem, perfectumq́; in oratione efficiendum. Hęc autē intelligi non poſſunt, niſi ipſius Harmonię definitio habeatur, & qua ratione efficienda ſit; quę quoniam huius Artis terminos longe tranſcendunt in commodiorem locum differenda cenſemus.

De Grauitate Compoſitionis. Cap. XXVIII.

QVONIAM *dictum eſt Grauitatem eſſe in oratione, propterea quod uideatur admirabilis; admirabilia uerò pręcipuè ſunt noua, & non vulgaria, in Compoſitione, ſtructuraq́; Verborum Nouitas quędam adhibēda eſt, dummodo ne Perſpicuitati officiat & ſi rationibus prędictis obſcuritas Grauitatem aliquam præſeferre uidetur; tamen nō modo intelligibilitas, ſed quantum fieri poteſt Perſpicuitas eſt conſeruanda: fit autem Nouitas præ-*

cipuè

cipuè dispositione non Vulgata Verborum, uel reticentia Verbi alicuius uel aliquorũ: & quoniam qui cęteros voluptate afficiunt uidentur quodammodo illorum serui, Graues autem viri libertate gaudent, & imperio, non ea cõpositione vtendum est quę suauitatem facit: sed aspera, ea enim viri graues utuntur, interruptumq́ sonum adhibent, & quoniam res graues magnę sunt: ita quoque compositio quęrenda est, quę magnum faciat sonum: dummodo vitetnr turgidum.

Definitio stili. Cap. XXIX.

E*A quę de ornamentis diximus magnam sunt habitura difficultatẽ, obscuritatemq́, nisi de stilo aliqua dicantur; cum.n. dictum sit ornamenta esse Perspicuitatem, Grauitatem, Suauitatem, dicaturq́ stilus Perspicuus, Suauis, Grauis, videtur is aliquã habere ad ornamenta relationem; nam quod stilus, & ornamentum idem non sint, ex eo patet, quod stili multę sunt alię differentię quemadmodũ placet ijs qui de hac re scripserunt; & preterea quod stilus incultus, inornatusuè dicitur; ornamen-*

namentum autem inornatū esse nequit. Cum autem sit ornamentorum subiectum, & ornamentis contrariorum, ab ijsq; denominationē suscipiat; sit autem eorundem subiectum locutio, quæ & ipsa ornata dicitur, & inornata; fortasse dicendum est stilum nihil aliud esse quàm orationē, siue locutionem. Verùm secus videtur diligentiùs intuenti; locutio.n.vna est omnibus vnius linguæ; quis enim dicat latinam linguā multas habere locutiones? Eadem ratione vna locutio est Hyspanorum, Gallorumq;, & reliquorum cū nihil aliud sit ipsa locutio, quàm voces editæ cuiuscunque linguæ ad aliquid patefaciendum; at stilus nō vnus est omnium in qualibet lingua: pręterea idem est locutio, et oratio de hac autem dicitur quod vera sit, vel falsa, quæ de stilo minimè prædicantur: non igitur idem sunt stilus, & oratio, siue locutio; quod eius quoq; nomina ostendūt; nam & Caracter dicitur, & forma, siue Idea, & genus dicendi; quæ omnia orationem, siue locutionem non significant, sed aliquid in ea; ita vt oratio non modo ornamētorum, sed stili quoq; subiectum sit: Stilus autem An & ipse

orna-

ornamẽtis subijciatur quemadmodum ab initio dicebamus diligentiùs considerandum est; necesse autem videtur prius definitionem eius inuenire, vt & illum ab ornamẽtis distinguamus, & tractationi de Elocutione satisfactum sit; nam omnes qui de Elocutione agunt de stilo sermonem habent, imo de ornamentis propter stilum agere videntur, non enim de figuris Verborum, sententiarumq́; & huiusmodi loquuntur, nisi vt & ex eorum cognitione stilus magnificus quem vocant, vel medius, vel quiuis alius effici possit. Sic itaque dicamus. Stilus oratio nõ est, sed aliquid orationis; idest entitas quædam, hæc autẽ illi non accidit qua oratio; nam vnus esset stilus, nam vnius rei, vt vna, vnica est forma, & propriũ accidens; non igitur est ita proprium orationis, vt emanet ab eius essentia, sed videtur entitas quædam illi adiuncta ab eo qui oratione vtitur: quare videndũ quid is qui loquitur adiungere possit orationi, ita vt illam denominet; videmus.n.vt stilus plenus dicitur, siue ieiunus, ita & orationem dici plenam, Vberem, ieiunam, & eiusmodi. Is qui loquitur Verba sumit,

mit, & quoniam stilus non est, nisi in oratione, & non quidem in Enunciatione vna, sed pluribus, ita vt oratio quæ stilum admittit, complexum quoddam sit multarum enunciationum, necesse est eum, vt stilum faciat, non modo Verba sumere, sed illa coniungere, atque componere, & quidẽ qui loquitur, uel scribit, nihil aliud efficere videtur, quàm ita Verba componere, vt animi sensus innotescant: id autem faciens in aliquem necessariò stilum incidit, cum tamen eius operatio nihil aliud sit, quàm Verborũ combinatio, hoc.n.demum est loqui: Considerãda autem omnia diligentiùs qui enim loquitur primũ notiones in animo habet quas oratione significet, & in oratione ipsæ notiones sunt compositioq; illarum præterea Verba, et eorum structura; ita vt in oratione qui loquitur quatuor hęc videatur efficere; animi sensus afferre, illos componere, simplicia Verba eligere, & illa simul coniungere; Igitur, si vnusquisq; suum stilum habere videatur, aut saltem si quicunque habet, propterea habet quod orationi quandam adijcit entitatem, hæc aut nihil esse aliud possit, quàm sen-

ſententiæ, Verba, eorumq́; amborum compoſitio; in aliquo iſtorum, vel pluribus; vel omnibus naturam ſtili, atque eſſentiam eſſe conſtitutam oportet: & quidem cum ſententiæ variæ, & Verborum ſimplicium differẽs electio, & diſſimilis conſociatio, magnam efficiant in oratione diuerſitatem, hæc ad efficiendum, uariandumq́; ſtilum conferre videntur: quapropter ſtilus videtur entitas quædam orationis prodiens ex appoſitione ſententiarum, electione Verborum, & ſtructura amborum: quæ acrius expendenda ſunt; hoc enim idem uidetur eſſe ornamentum orationis. Illud tamen manifeſtum eſt, ſtilum eſſe aliquid in oratione extrinſecus adueniens, nõ illi ex ſua natura inſitum; adueniens autem, & factũ ab eo qui oratione vtitur, is autem nihil aliud efficit quàm illa quatuor quæ diximus: propterea ex ijs oriri ſtilum arbitrandum eſt; quẽ formam, & figuram quandã orationis appellant, non quidem orationis ſimpliciter, nam ea eſt intelligibilitas: ſed orationis huius, quæ ſcilicet illum habet, & quæ ab eo ineſſe non ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſtatuitur; ſicut figuram

ram

ram in cera dicimus qualitatem quandam ceræ, non omnis, nec quatenus cera est, sed eius qui illam habet, à qua suscipit specificum quoddam esse in genere qualitatis: eadem ratione stilus uidetur entitas quædam orationi adiuncta quæ orationem ex sua natura denominat, cum eam inesse quodam specifico cõstituat; quod non est idem cum eo quod orationi ornamentũ præstat; illud enim semper est perfectum, stili autem esse non semper; nam cũ ornamentum sit orationis perfectio quædam, inornata oratio erit imperfecta, at dicitur stilus incultus, & inornatus, non igitur est orationis perfectio; quare cum actus, & formæ perfectionem quandam significent, haud videtur per formam definiendus; tamen quid sit conandum est dicere. Satis autẽ constat ex quatuor prædictis rebus oriri, has.n.adhibet, atq; efficit is qui loquitur, ab operatione cuius, stilus fit: quoniã tamen omnes qui loquuntur, hæc eadem faciunt, nec idem tamen est omnium stilus, non in ijs cõstitutus esse stilus videtur omnes.n.eis vtuntur; quin etiam diuersæ sententiæ, & Verba stilum non faciunt di-

Q uer-

uersum, nam & sentētiæ, & Verba longè aliæ sunt in secunda Philippica Ciceronis, ac in tertia cæterisq; stilus tamen earum idem est: de Compositione autem sententiarum, & Verborum non idem dicere ausim, nam diuersitas earum aliquam efficere in stilo uarietatem uidetur, quin & ipsa sententiarum, Verborumq; varietas stilū variat, quod est diligenter animaduertendum nam ad reliqua aditum patefaciet. Hac ratione. Diuersa est res, & materies primi libri de Oratore à materia secundi, sententiæ quoque diuersæ; est.n.aliud res, siue materia aliud sententia: nam res est naturale ens, vel quodcunque extra animum: sentētia verò, siue notio, quod ab intellectu de rebus concipitur, diuersæ itaque sunt sententiæ, & Verba stilum tamen haud est dubium idē esse; ex quo suspicari posse videmur diuersitatem Verborum, sententiarumq; stilo varietatē non afferre: accipiamus, eandem rem, eam scilicet, quàm Cicero tractat in ijs quos diximus libris; igitur a quoque alio hęc tractetur longè alio stilo tractabitur; nec tamē id accidet propter diuersitatem materiæ, cum hæc eadē sit,

quod

quod si & sententiæ, et Verba eadē essent stilus fortasse idem foret. Dicet autem aliquis id cō-tingere ob variam sententiarum, & Verborū dispositionem: hæc magnum quidem affert ad stili vvrietatem momentum; nam de re eadē Cicero multa eodem stilo dicere poterit mutatis sententijs, Verbisq́;: de laudibus.n. Pompeij eodem stilo multo secus dicere potuisset, aliasq́; adhibere sententias, & Verba quā in oratione pro lege Manilia; de ijsdem tamen laudibus altus dicet, vel is Cato sit, vel Hortensius, quorum stilus à stilo Ciceronis differet; quare de eadem re sententijs cōmutatis, & Verbis, idem & non idem esse stilus potest. Dicet aliquis ob Verborum, & sententiarum eandem cōbinandi rationem, eundem esse stilum, quare in hoc esse naturam eius constitutam. Hoc si concedamus multas oportet stili species tollere, quas & M. Tullius, & alij complurimi inuexerūt; Acutus enim, Vehemens, Exilis & eiusmodi haud fieri posse videntur à sola Verborum, vel sententiarum compositione: propterea manet adhuc integra difficultas, in quo sit natura stili constituta; cum tamen in usu sententiarum

Verborumq; & compositione amborū constitutam esse, fatendum videatur. Compositionem enim Verborum plurimum cōferre ad stilum ex eo manifestum est, quod eadem promanente si immutentur sententiæ, & Verba, stilus idem est, at iisdem manentibus sententiis, & Verbis immutata compositione nequaquā erit idem stilus. Nam si M Tullij Verborum structuram inuertas, vel secus verba diuinissimi Vatis componas nullus est qui periisse Ciceronis, & Virgilij stilum non fateatur. Non tamen Compositio stilum facit, nisi dicamus hæc omnia simul illum facere; ita vt sententiæ, & Verba, & amborum Compositiones stilum faciant pro diuersitate eorum: quod considerandum est. Nam si vt diximus, Ciceronis cōpositionem, structuramq; verborum inuertamus stilum immutabimus, simili ratione si eadem remanente structura, si quæ verba ille Metaphorica adhibuit nos propria adhibeamus, hac etiā ratione immutatus stilus dicetur: postremo si omnia eadem remaneant, & sententiæ quoque, non tamen eadē ratione, ita vt significatio sit eadem, non tamen eadem significandi

di ratio, quod Cicero propria non vtatur sententia, sed Affine tanquã Grauiore, & Iucundiore, aut magis Perspicua, tunc quoq; vel maximè immutatum stilum arbitrabimur, cũ in eo præcipua videatur stili cõstituta laus; quod etiam de Compositione sententiarum dicendũ videtur; nam si quis quasi disiunctas, ac dissipatas ponat vt Seneca, ea ratione plurimum à Cicerone differet: propterea stilus oriri videtur ex quodam usu sententiarum, verborum, & cõpositionis vtrorumque: ex quo fit ut multiplex esse queat similitudo, ac dissimilitudo vnius stili cum alio, quod ijs est diligẽter animaduertendum, qui sibi aliquem authorem imitandum proponunt, ad quorum vtilitatem pauca hæc adijciemus. Stilus itaque cum stilo vel nullam habet similitudinem uel aliquam, si aliquam, eam habet per aliquid commune; communicare autem possunt his tantũ modis.

In vsu sententiarum, Verborum, Compositione sententiarum, & verborum.
In vsu sententiarum tantum.
In vsu sententiarum, & verborum.
In usu sententiarũ, et cõpositione sentẽtiarũ

In vsu sententiarum, & cōpositione verborū.
In vsu sententiarum, vsu verborum, & compositione sententiarum.
In vsu sententiarum, vsu verborum, & compositione verborum.
In vsu sententiarum, compositione sententiarum, & verborum.
In vsu verborum tantùm.
In vsu verborum, et compositione sententiarū.
In vsu verborum, & compositione verborum.
In vsu verborum, compositione sententiarum, & verborum.
In compositione sententiarum tantùm.
In compositione sententiarum, & verborum.
In compositione verborum tantùm.

Hi omnes sunt modi, quibus esse similis stili stilus potest, & vt manifestè apparet totidē modis oratio ornata, & inornata; quaecunque enim ad faciendum stilum necessaria sunt, ea quoq; ornamenta orationis admittunt; in quibus & esse, & deesse possunt sexdecim modis, vnus si addatur quando in nullo ornamenta reperiuntur; ex his autem facilè, vt arbitror, Affinitatem quandam cum ornamento stilus

habere

habere intelligitur: nam entitas illa, quæ ex vsu sententiarum, Verborumq;, & amborum Cōpositione oritur, stilus est. hæc autem si perficiat orationem ad oblectandū eum qui audit ornamētū dicitur: propterea stilus latiùs patet quàm ornamentum, Verum hæc aliquam fortasse habent difficultatem; non .n. aut verbum translatum, aut ornatam vnam sententiā stilum appellamus: sed ornamentum, ita ut ornamentum adijciatur illis omnibus rebus quæ orationem ornant, stilus autem vocatur ipsa iam structa oratio, siue id quod ex iam structa oratione oritur; potest tamen eadem oratio dici, & stilum habere perfectum, & esse ornata: ita vt ornata oratio, & stilus perfectus idem videantur. Consideranda hæc itaque diligentiùs. Stilum esse ornatum, et inornatum dictū est: ornamentum inornatum dicere, nemo ausit; præterea si rectè dicimus stilum ornatum, nulla potest esse dubitatio stilum non esse ornamentum, dicitur .n. ornatus quia est interdū ornamenti subiectum at uerò accidentia de subiectis in abstracto, minimè prædicantur, quis enim dicat album esse albedinem, uel cor-

pus esse albedinem? non magis itaque dici potest, aut ornatum esse ornamentum, aut stilũ ornatum ornamentum esse. Dubitabit autem aliquis, nam dictum est ornamẽtum esse orationis perfectionem, stilus autem nõ est idem cum oratione, quare si etiam stili perfectio est, amborũ erit vna perfectio, neutri igitur propria; male igitur allata est ornamenti orationis definitio; cum proprium in ea subiectũ positum non sit. Verum quod apud omnes in confisso est negari minimè posse videtur; hoc est, ut ornata oratio dicitur, ita etiã dici stilum ornatum: propterea ita videtur stilus ornamenti subiectum, ut oratio ipsa: Hoc autem vt priori quæstioni respondeamus, nullum habet absurdum: ornamentũ, & stilum, & orationem ornare; & vtrunq; ornamenti subiectum est, nec tamen ob id stilus, et oratio idem sunt: dicimus.n. & corpus, & superficiem esse coloratam; & hominem, & intellectum acutum: oratio itaque est compositum ipsum veluti corpus, stilus autem eius, quasi forma quædam, veluti superficies; quæ forma quando perfecta est, idest, quando habet entitates

quasdam

quasdam, ex pluribus.n.conflatur, tunc contrahit qualitatem, à qua, & ipsa hoc est, ipse stilus, & cõpositum subiectumuè quod est oratio ornata dicuntur. Stilus itaque cum perfectus est complexionem ornamentorum dicit, ornamentum verò perfectionem significat, nõ tamen veluti entitatem indiuisibilem totam orationem informantem, sed per orationem, & illius partes dispersam, diffusamuè. Dicet autem aliquis, ornata oratio vbique & in omni sui parte ornata est, non igitur sunt ornamenta dispersa per orationem. Vidẽdum hoc; nam verè quando stilus perspicuus, vel Grauis est, si rogem quod ornamentum sit in illa oratione, rectè, ni fallor, respondebitur in esse Perspicuitatem, Grauitatemuè, ita vt ab ijs significari videatur vniuersa, totaque entitas, à qua vel oratio, vel stilus ornatus dicitur; Respondetur fortasse potest ornatam dici orationem, vt dicitur ornata domus, in qua ornamenta, non est entitas quædam vna, & continua, sed plures entitates suis aptè locis dispositæ; stilus autem est orationis forma quædam indiuisibilis. Vel sic dicamus: quod oritur ex

vsu

vsu sententiarum, & verborum, & vtrorumq; Compositione stilus est ille autem quatuor res propriam habere possunt perfectionem, et non habere, si habent, & illa perfectio est ad oblectandum, ornamentum dicitur, & ex vsu harum perfecto, stilus oriens, perfectus, & ornatus dicitur: perfectus itaq; vsus sententiarum, verborumq;, & perfecta Compositio sententiarum, verborumq; sunt ornamenta; quod autem ex omnium horum vsu siue perfecto, siue imperfecto exoritur orationē vniuersam informans id stilus est. Quid autem sit haud facilè dici potest; cum tamen sit entitas quædam, quæ orationi esse quoddam attribuit, sit autem omne esse a forma, necesse est stilum formam dicere: quoniam tamen forma essentialis orationis est intelligibilitas, non absolutè, & simpliciter dicemus formam orationis, sed cum additione aliqua; addenda est autem causa, nam accidentia fortè per illam definiuntur, quæ sit proxima, & immediata: hæc autem est vsus sententiarum, ac verborum, & vtrorumque Compositio: Dicamus igitur sic. Stilus est forma orationis oriens ex vsu

senten-

ſententiarum Verborumq́; & amborum Compoſitione: Hæc definitio, & ſi non mihi omnino ſatisfacit, magis tamen placet, quàm quæ traditur à nonnullis, Vt ſit Dictio ſimilis rei cuius nota eſt, ſubſtantia, quantitate, qualitate. Nam ab ijs intelligere vellem ſit ne ſtilus, id quod à Diuino Poeta de Apibus dicitur in Georgicis; nã Verba Suauiſſima, Grauiſſimaq́; ipſumq; vniuerſum dicendi genus haud multũ ſimile videtur humillimis rebus: Nullumq́; vt arbitror; negabit ſtilo dulci, ſuauiq; moleſta poſſe narrari; ſatis etiam probatum eſt ſtilum non eſſe dictionẽ, vel orationem, ſed aliquid in ea Nec multo veriùs eſt quod addunt, verba duplicem ſequi ornatum, ex figuris unũ alterum à numeris, quorum ex vtroque Character conſtituitur, nam neque ab ornamentis tantùm, vt dictum eſt, ſtilus oritur; neq; à ſolis figuris, & nnmeris. Verùm ex dictis facilè poſſunt abſque noſtro labore huiuſmodi opiniones labefactari: Nam ſi quæ abſurdè ab alijs dicta ſunt reprehendere uoluiſſem, multis fortaſſe non ingratum opus elaboraſſem, quos piget laboris: Vtrum alienæ inertiæ tantùm indul-

dul-

dulgere nolui, vt ambitiosè aliorum errata perscrutasse viderer, quibus lucubrationem hanc efficerem grandiorem, ornatioremq́;.

De Speciebus stili. Cap. XXX.

M*AIOR fortasse difficultas est in speciebus stili reperiendis: illud.n.vel maximum se primum obijcit, vnde hanc sumere diuisionem oporteat; scimus.n.apud Antiquos Rhetores tria esse dicēdi genera peruulgata, Graue, Mediocre, Humile; qui verò addere noua, vel horum triū quasi partes ostendere voluerunt, septem nobis tradidere: Perspicuum, Magnum, siue Grande, Pulchrum, Velox, Moratum, Verum, Graue. Has itaque species, & audimus, & legimus; diuisionis autem rationem minimè intelligimus, non enim eas nobis ostendunt: est autem eius qui docere aliquid velit, non authoritate tantùm, sed rationibus, et quantum potest methodica tractatione rerum cognitionem tradere. Conandum igitur est nobis aliquid in hac re; id autē ope definitionis, nam frustra non instructi definitionibus ad diuisiones accedunt; in quibus, si mens*

mens humana caliget, parcendum eſt noſtræ imbecillitati; nam inter ea quę in rerum contemplatione difficillima ſunt; rerum diuiſiones meo quidem iudicio principatum laboris, ac difficultatis obtinent. Dictum eſt itaq; ſtilum eſſe formam orationis ab vſu ſententiarum, verborumq́; & amborum Compoſitione manantem; manifeſtum eſt igitur hanc formam variari, ac multiplicari, pro varietate, ac multiplicitate ſuæ cauſæ, quæ veluti forma omnium accidentium exiſtit, eſt autem quod ſuperiùs dixi memoria tenendum, non ſententias, aut verba ſtili facere varietatem, ac differentiam, ſed vſum ipſarum, ipſorumuè. Quod ſic conſiderandum eſt. Cum ſtilus ſit forma quædam orationis, manifeſtũ eſt nullam eſſe orationem, quæ ſtilum aliquem non habeat, nec loqui quenquam poſſibile eſt quin incidat in aliquod ſtili genus; loqui enim eſt ſententijs, verbisq́; vti, ex quo ſtilus exiſtit: quod ſi quis dicitur ſtilum non habere, illud ſignificatur eam Artem ei non adeſſe, qua ſemper eodem modo loquatur, ſed loqui, vt fert ipſius Naturæ impetus. Hic autem ſtilus ita

exo-

exoriens absque vlla Arte Naturalis eſt; nos autem Artem tradimus, quæ doctrinam aliquid efficiendi oſtendit, propterea de ſtilis loquendum eſt qui fiunt ab Arte; ac de ſtilo agendum qua Artem hanc admittit: Ars autem omnis naturale aliquid perficit ad aliquẽ finem, quare hæc quoque Ars format orationẽ in aliquẽ finem; hoc eſt eas ſtili ſpecies in orationem induceue demonſtrat; quæ alicui fini deſeruiant. Quapropter cum in ſtilo Ars adhibeatur, cauſa nulla alia eſt, niſi vt perfectior ſit oratio cuius ipſe quædam forma eſt: perfectio autem orationis eſt ornatus, Ars igitur ſtilum conſiderat orationis, vt eam ornatam faciat; & vt ſtilus, qui nulla adhibita Arte rudis eſſet, & incultus ornatus fiat, atque elaboratus. Ars igitur de elocutione cum ea ratione ſtilum conſideret qua orationem, orationem autem qua ornamenta induere poteſt, cum tria tantùm ſint ornamentorum genera: hæc enim ſunt veluti formæ quædã ſtili à quibus ipſe ſpeciem ſumit in genere ornatus, & qua ſpectat ad hanc Artem. Manifeſtum eſt ſtilum perfectum non eſſe, niſi triplicem Perſpicuum,

ſpicuum, Suauem, Grauemq́, & eius totidem oppoſitas ſpecies; quemadmodum tres quoque prædictæ ſunt ſpecies orationis, quatenus ad hanc artem ſpectat; nam prout oratio eſt diuiſionem eius facere alterius Artis eſt; quemadmodum & ſtili qua ſtilus eſt: facilè tamen uel mediocriter in Arte diuiſionis uerſato conſtare poteſt, ſtili ſpecies rationabili methodo à prędictis authoribus non eſſe perquiſitas. Mediocrè enim quid in ſtilo dicit quod non ſit in rebus omnibus quantis? Dicere autem ſtilum moratum, eſt in oratorios fines irrumpere; uã Morata oratio, vt Rhetores dicunt, ad illam Artem pertinet. Qui autem ſtilum verum dicit, poteſt & Demonſtratiuum, & probabilem; quod Logicę diſciplinæ munus eſt docere; longè autem à veritate magis aberrant, qui Pulchrum ſtilum ſpeciem vnam eſſe contendunt; nam pulchritudo viſilium propriè dicitur, vt ſupra diximus, dicitur autẽ pulchra oratio, perfecta, & ſtilus pulcher, qui eſt perfectus, perfectio autem orationis, vel ſtili ornamentum eſt, qua ſtilus pulcher eſt Perſpicuus, Suauis, & Grauis, quas tamen nolunt à

pulchro

pulchro esse stili distinctas species. Velocem autem qui eum appellat potest & claudum, cur non & album, vel frigidum? Non enim minus hæc ad stilum pertinent, quàm velocitas. Ab accidentibus igitur ducta hæc diuisio est, imo ab ijs etiam accidentibus qui stili naturam minimè sequuntur. Verùm de stilo, & de vniuersa ornamentorum oratione satis mihi dictum sit. si quis aut plura, aut veriora potest; æquum est eum publicæ vtilitati consulere, Mihi, & si aliqua dicenda restant consulto alijs relinquo commemoranda. Hæc à me dicta sunt ne sæpius eadem repetenda essent in Arte Historica, Poetica, & Rhetorica.

FINIS.

Capita Libri Secundi.

Quæ

INDEX:
RERVM NOTABILIVM
LIBRI PRIMI.

Tran-

Quæ

INDEX
LIBRI SECVNDI.

Qua

A qui-

FINIS.

FERRARIAE,

Apud Victorium Baldinum,

Impreßorem Cameralem.